




K.R 139







SACROSANCTI  
**CONCILII**  
TRIDENTINI  
VERSIONEM VULGATAM LATINAM  
AUTHENTICAM PRONUNTIENTIS;  
SACRAM SCRIPTURAM TUM LEGENDI, TUM INTERPRETANDI  
FACULTATEM FIXIS LIMITIBUS CIRCUMSCRIBENTIS  
**DEFENSA AUCTORITAS.**

QUANDO  
EX XII. VIRALIS CONCILII THEOLOGICI DECRETO  
*A PLURIMUM REVERENDO, EXIMIO,  
SAPIENTISSIMO DOMINO*

**GODEFRIDO WILHELMO  
DANIELS, AGRIPPINATE,**  
SS. THEOLOGIÆ DOCTORE DE CONCILIO, PROFESSORE  
PUBLICO AC ORDINARIO, SYNODALI, ET ORDINANDORUM EXAMI-  
NATORE, PERIN SIGNUM COLLEGIATARUM AD SANCTOS APOSTOLOS,  
ET B. M. V. AD GRADUS ECCLESiarum CANONICO CAPITULARI,  
COLLEGII WEIDENBACENSIS RECTORE.

REVERENDI ADMODUM, ET ERUDITISSIMI LICENTIATI  
**P. BEDA LIMBACH,**  
EX NIEDERZUNDORF,  
ORD. FF. MIN. S. FRANCISCI CONVENTUALUM THEOLOGIÆ LECTOR  
EMERITUS, ET PROVINCIAE SECRETARIUS.

**D. JOAN. MELCHIOR KYRION,**  
MARCODURANUS,  
PERIN SIGNIS COLLEGiatæ AD S. GEORGium CANONICUS.

**D. JOANNES WEIMER,**  
NASSOVius EX DEHRN,  
PASTOR IN EFFLEN, IN COLLEGIO WEIDENBACensi THEOL. LECTOR,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORES.

COLONIÆ AGRIPPINÆ  
*A. MDCCCLXXXV. TERTIO CALENDAS SEPTEMBRES,  
RITU SOLEMNI, MORE MAJORUM RENUNTIABANTUR.*

---

COLONIÆ, EX TYPOGRAPHIA UNIVERSITATIS.

K.R. 139.  
*sec*

# DECRETUM DOMINI PROMOTORIS.

## IN PRIDIANO ACTU SOLEMNI VESPERIARUM.

**PRIMUS** ex Doctoribus designatis Versionem Vulgatam Latinam ab Oecumenico Concilio Tridentino suis meritis declaratam esse Authenticam ostendet; &, quæa tum iis, quæa pertinent ad doctrinam Fidei morumque, tum in reliquis, sit ejus Auctoritas, determinabit.

**SECUNDUS** probabit per Regulam 4tam indicis Concilii Tridentini recte & provide restrictam esse facultatem legendi *sacra Biblia in lingua vulgari*.

**TERTIUS** exponet per Decretum Concilii Tridentini sapientissimè & saluberrimè prohibitum esse *sacram Scripturam in rebus Fidei, & morum, ad edificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium interpretari contra unanimem consensum Patrum*.

## EXIMII IN CONCERTATIONE VESPERTINA OPPUGNATORES.

**Primus** P. R. & Eximus P. ALBERTUS WALTERS, Ord. Erem. S. Augustini, Magister Ordinis, & Provinciæ Coloniensis Ex-provincialis.

**Secundus** P. R. & Eximus D. REINERUS KROSCH, Colon. ex Römerskirchen, Canonicus Archidiaconalis Ecclesiæ B.M.V. ad Gradus.

**Tertius** P. R. & Eximus P. PIUS EITZEN, Ercklinius ex Kück-hoven, Ord. FF. Præd. Præsentatus:

## ARGUMENTUM DISSERTATIONUM IN ACTU PROMOTIONIS.

**1mae:** Ad ratiocinium firmum ex Loco Theologico Scripturæ sacræ formandum sufficiens est Versio Vulgata Latina.

**2dae:** In rem Ecclesiæ neutquam melius operam locant suam, qui in Scriptis suis vernaculo idiomate editis prætensos Versionis Vulgatae defectus ostentando, honorem hujus in mentibus illiteratis imminuunt, quam, qui eum pro meritis tueri adlaborant.

**3tiæ:** In tractandis iis, quæa ad Scientiam Sacram pertinent, cum primis necessaria est ingeniorum moderatio.

## ARGUMENTUM PROLUSIONUM ACADEMICARUM.

**1mae:** Habet Ecclesia Christi Verbum Dei scriptum, primam Fidei Regulam.

**2dae:** Ad influxum hujus Regulæ in adsensum Fidei, aut ratiocinium Theologicum, necessarium est judicium certum de Authentia Codicis sacrorum Bibliorum nomen præ se ferentis.

**3tiæ:** Versio Vulgata Latina solemni universalis Ecclesiæ Decreto pronuntiata Authentica est Regula Fidei.

## ORATORES

### IN VESPERIIS.

R. P. TOBIAS FLAMME, Ord. FF. Minorum S. Francisci Conventualium.

R. D. JOANNES BAPTISTA LUGINO Ubius, in Florentissimâ Laurentianorum Gymnade Professor Infimæ Classis.

### IN ACTU PROMOTIONIS.

R. D. HENRICUS KNIPSCHILD Medebacensis, in Gymnasio trium Coronarum secundæ Classis Professor.

DISSE

# TATIO PRIMA

DE

## AUTHORITATE VULGATÆ.

**C**oncilium Tridentinum suis meritis Vulgatam Latinam declarasse authenticam in rebus fidei & morum jubes, Promotor Sapientissime, ut demonstrem; qualem Authoritatem Vulgata Latina habeat in reliquis, præcipis ut determinem... In utroque crisi plenam mihi assignas spartam, ad quam tamen accingor, quia mandas, ac pro virium mearum modulo Authoritatem Vulgatæ ex Authoritate Concilii Tridentini contra malevolorum assaultus, nec non quorundam Recentiorum petulantiam vindicabo... At in arenam dum vix descendeo, ad tot hostium conspectum in ipso prælia Limine hæreo. Video turbam magnam... ex omnibus gentibus, populis, linguis & nationibus. E puto abyssi magne emergentes errorum Magistri, ac gregales se fistunt conspectui meo. Video Lutheros, Calvinos, aliosque ejusdem farinæ socios in Decretum Conc. Trid. de Authentia Vulgatæ sœve debacchantes, id ipsum cum Beza ineptum & iniquum, cum Leusdeno irritum, absurdum & falsum proscindentes, cum Riveto aliis audaciore ut impium & tyrannicum blasphemantes. Video innumeros Deistas ex Anglia venientes, qui cum Tolando, & Tyndalio omni revelatione inter aniles fabulas patidasque superstitiones amandantes pro sola Religione naturali ceu pro aris & focis pugnant. Video Bælios, Voltairios, La-Metrios, Rousleavios in Gallia infeliciter natos, in nostris æque ac aliis Germaniæ partibus gigantum more contra Authoritatem Vulgatæ certantes, Miracula Religionis Revelatae Sigilla inficiantes, adulterantes, ac fere singula in Tabulis tum Veteris, tum Novi Testamenti signata prodigia ad Rationis naturalis decempedam metientes. Cerno tot quasi Goliathos, quot maleferiatis Criticos, qui insultantes Ecclesiæ Dei Vulgatam nostram Sacrarium Religionis ac Arcam Domini genuinas Legis Tabulas continentem lingua & calamo impuris contrectare præsumunt, auribus allorum prurientes & à veritate auditum avertunt, & ad fabulas convertuntur; majorem in Vulgata haud deprædicant Authoritatem, quam admittunt in quovis Libro facultate librorum Censoris ordinarii donato, & quinam sunt illi maleferiati Critici? Sunt Viri, qui Catholicos se profitentur, in vestimentis ovium incidentes, intus autem sunt lupi rapaces. O tempora! o mores! Ecclesiam amare flentem, ac mœrem suam ex Jeremia contestantem mihi audire videor: *Filios enutrii & ipsi spreverunt me* a) Israel stupebat & metuebat nimis, cum audiret Philistæum fe se jactitatem; *ego exprobravi agminibus Israel bodie: date mibi virum & inest singulare certamen tecum, si quiverit pugnare tecum, & percusserit me, erimus vobis servi: si autem ego prævalero, & percussero eum, vos servietis nobis.* b) Anne Ecclesia Dei hodie audiens tot Philistæos exprobrantes & insultantes simili timore percusa videtur? minime gentium; se enim petram esse, contra quam portæ inferi non prævalebunt, novit ex Divinæ Veritatis eloquio, insimul probe sciens nunquam defuisse, nec hodie deesse magnanimos Religionis Hyperaspistas, & facrorum Catholicorum intrepidos Propugnatores, qui authoritate & exemplo, prædicatione & scripto aggerem se pro domo Dei objiciunt, & bacchanti per orbem impietati nervos succidunt. Quorum exemplo animatus in aciem progedior duellum tentaturus, non exspectans, sed præveniens provocationem. In prima duelli parte authoritatem Vulgatæ in rebus Fidei & morum infallibilem evincam. In altera, qualem in reliquis habeat, determinabo. Queis rationum momentis id præstem, attende.

ARGUMENT. I. Necessestas Ecclesiæ postulabat declarationem Conc. Trid. de Authentia Vulgatæ in rebus Fidei & morum. Nemo nisi in historia jejunas inficias ibit, tempore sati Concilii innumeratas, easque mendas, corruptas, adulteratas editiones extitisse, ac lucri gratia circumgestas in incautas haud raro manus incidisse, ita quidem, ut nedum ovibus, sed & ipsi met Pastoribus difficile fuerit herbam ab herba, pascua salutaria à noxiis mortiferis ac venenatis, triticum à zizaniis dispescere. Quid igitur salubrius, quid utilius, quid magis necessarium ad ovium æque ac pastorum infectionem, mortemque evitandam excogitari poterat, quam in hac periculosa crisi Ecclesiam declarare unam certamqne Versionem, in qua incorruptum Dei Verbum fidelibus exhiberetur, & cui nemo sanæ mentis nullisque præjudiciis abreptus refragari posset. Agnovere id profecto Patres Tridentini in Spiritu S. congregati, cum de remediiis contra

a) *Isai. cap. I. v. 2.*

b) *Lib. R. c. 17. v. 9. & 10.*

c) Hist. Conc. Trid. L. 6. c. 15.  
d) Orat. 6. Divinæ Scripturæ abusus deliberarent, una omnibus mens sicut de Versione latina Vulgata omni alteri præponenda, prout resert Pallavicinus c) Hanc vero mentem divino prorsus consilio Patribus injectam fuisse, eventus, atque nostri etiam temporis experientia luculenter docuit. Audi Facciolum d) belle in rem differentem: multa quidem commoda, inquit, & probe innumera in christianam Ecclesiam, ad Fidei morumque leges componendas per Synodum Tridentinam redundarunt: sed nihil tam grave accepimus, nihilque tam utile, quam quod ex omnibus latinis sacrarum scripturarum interpretationibus una illa probata est, quæ cæterarum optima ac fidelissima, nutantia malorum ingenia tanquam clavo firmaret, certisque regionibus circumscriberet. Verum, aīs, ex quo probas mentem illam de Versione latina Vulgata omni alteri præferenda, divino consilio Patribus Tridentinis injectam? queis rationibus evinces soli Vulgatæ eam competere Authentiam, cui nemo sanæ mentis refragari valeat? cave ne partium studio occupatus injurius evadas versionibus a Lutherio, Beza, Castalione, Münstero, Leone Juda, aliisque orthodoxe non minus ac erudite adornatis; non omni spiritui credendum esse monet nos S. Joan. e) Ep. I. c. 4. charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. Audivi anreum S. Joannis monitum, singulis Protestantum pleudo-doctrinis merito opponendum. Ex spiritu meo non loquor dum aliero mentem de Versione Vulgata omni alteri præferenda divino consilio Patribus Tridentinis injectam fuisse, sed id loquitur organum Spiritus S. Ecclesia scilicet falli ac fallere nescia, quia loquitur Tridentinum. Si vero Ecclesiam audire detractes, audi famosum inter ipsos heterodoxos Callovium, quid de Vulgata latina sentiat: *Vulgatam alis plerique latinis interpretationibus anteferendam ducimus.* Audi Ludovicum de Dieu f) Praef. ad Lect. in animadv. nd 4Evang. qui libere fatetur: si *Vulgatum quoque interpretem, quisquis tandem fuerit, doctum ino doctissimum virum fuisse afferam, non me peccasse judicavero.* Suffragatur & Grotius g) rationem reddens, car ad Vulgatum, quali textum notas suas referat, inquit: se vulgatum interpretem semper plurimi fecisse, non modo, quod nulla dogmata insalubria continet, sed etiam quod multum habet in se eruditiois. En salutem V. T. ex inimicis nostris! mones, & caute mones, ne Vulgatam latinam Authentiae prærogativa insigniendo injurius evadam Versionibus a citatis Authoribus orthodoxe (si superis tamen placet) non minus ac erudite compilatis; injurius igitur ne evadam, te ipsum confulo, teque ipsum judicem constituo sciscitans, quænam ex versionibus allegatis Vulgatae latinæ veniat anteferenda, cui nemo sanæ mentis, nullisve præjudiciis abreptus refragari queat? num versio Lutheri? ast eam carpunt Tigurini, ut conqueritur Stolzius in defensione Lutheri; ino in ea se sèpius errasse non dislitetur Lutherus ipse, eo quod Rabbinorum glossis plus æquo credidisset. vid. Cochlaeus in act. Lutheri. Num versio Bezae? at istam damnat Castalio. An versio Castalionis? eam reprehendit Beza. Num versio Münsteri? hanc perstringunt Tigurini. Num Leonis Judæ? at hæc cum oblata esset Luthero, ab eo est rejecta.

ARGUM. II. Longus tot sæculorum usus Vulgatæ seu authenticæ exigebat declarationem à Conc. Trid. factam. Vulgatam nostram per novem & amplius sæcula, a clarissimis Ecclesiæ Luminibus ultimatam, expolitam & collaudatam fuisse invicte probant testes omni exceptione majores: audi inter mille alias S. Gregorium h) hec nova translatio ex Hebræo nobis Arabicoque eloquio cuncta verius transfusisse perbibetur. Illam ab ætate S. Gregorii summo in pretio habuere ac secuti sunt Isidorus, Beda, Remigius Alcuinus, Fortunatus, Rabbanus, Anslemus, Bernardus, Ricardus, Haynone, Petrus Cluniacensis, Rupertus Abbas, aliive doctrina & pietate conspicui sere innumeris; uti testatur Card. Pallavicinus. i) Eandem ab Ecclesia Conc. Trid. etiam ante ævum Conc. Trid., aliquot sæculorum spatio Solam receptam, approbatam, & aut certa lege, aut consuetudine, quæ legis vim habet, in usum deductam esse testis est Hugo Victorinus Sæculi XII. Scriptor, k) dum ait: Hieronymi translatio, quæ bebraicæ veritati concordare magis probata est: idcirco Ecclesiæ Christi per universam latitudinem, præ cæteris omnibus translationibus, quas vitiosæ interpretatione sive prima de Hebreo in Græcam, sive secunda de Græco in Latinam facta corruperat, hanc solam legendam & in Authoritate habendam constituit. Cui consentit Tridentini decretum, Vulgatam dicens longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probatam esse. Inde fluit Ecclesiæ ab anno 420, quo denatus S. Hieronymus usque ad annum 1546, quo decretum Tridentini de authentia Vulgatae emanavit, Vulgatam probasse, ac in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habuisse; ad hæc quid judicas Critice! an consentis Ecclesiæ citata sæculorum serie habuisse in Vulgata copiam vidimatam, codicibus originalibus Hebraicis & Græcis conformem? aut disformem? si primum: te ipsum jugulas, tuamque temeritatem, qua Tridentini decretum hucusque fuggiliasti, prodis & notas; si secundum: blasphemias ad minus derogando supremæ Dei providentiae, ad quam non minus spectat servare Scripturam tot sæculorum usu probatam immunem ab erroribus fidei, morumque, ac ad eam pertinet immunem servare Ecclesiæ, illius usuram autoritatem.

ARGUM. III. Eximiae dotes Interpretis Vulgatae consultabant declarationem Cont. Trid. de autentia Vulgatae. Eruditi inter se convenient S. Hieronymum Authorem vel saltim restitutorem Vulgatae nostrae extitisse; quare ad maleferiorum Criticorum audaciam frangendam, insignes S. hujus Ecclesiæ Doctoris dotes exantlatumque laborem recensere abs re haud erit. D. Hieronymus maturiores musas egressus Vetus Testamentum ex Versione septuaginta in Latinum transferre cœpit, ait cum præcipuum versionis fundamentum in lingua hebraica & chaldaica ponendum esse advertit, imperterrita itinere Jerosolymam petiit, ubi a Judæo linguarum perito, nocturnis horis instructus tantum profecit, quantum per Magistrum licuit: at profundiora vada tentaturus Doctores Tiberiadis adiit, ut linguam hebraicam penitus exhaustiret; ea exhausta necum tamem erat laboris meta; chaldaica ipsi lingua adhuc defecerat, sponte sua fatenti: 1) qui mibi videbar sciolus inter Hebræos, cœpi rursus esse discipulus inter Chaldaeos. Ergo & Magistrum hujus linguae peritum sibi accersivit, a quo saepius, labore vix non tedium ingenerante, chaldaice admonebatur: *labor improbus omnia vincit*: instructus itaque tanta linguarum supellectile secundis curis V. Test. versionem subjecit, uti constat ex ipsis prologis, quos sacrorum librorum frontibus præfixit. Novum Testamentum quod attinet, non tam Versionem novam, quam emendationem duntaxat Versionis antiquæ ad textum græcum S. Doctor adornavit. En Critice! dotes ac conatum S. Ecclesiæ Doctoris si non Authoris saltem Vulgatae Restitutoris! unum a te aveo scire, an tibi arroges exquisitiorem linguarum orientalium intelligentiam? an acrius judicium? an limpidores fontes iis, ex queis S. Doctor rivos deduxit? id si alseveres, te modestiæ limites transilire, teque sapere plus quam oportet sapere, orbi & urbi palam fiet; si vero S. Doctori (ut decet) in omnibus prærogativam concedis, qua fronte ejusdem Versionem ab Ecclesia approbatam, & ex fontibus, nescio queis, emendare ac castigare conaris? Pro Coronide

Primæ Dissertationis partis abunde, ni fallor, demonstratæ, alloquor omnes quotquot in castris Voltairii, Rousseavii cæterorumque Deistarum enutriti estis: palpate quæso! cæcitatem vestram ducumque vestrorum, ac vestrum intellectum in obsequium Fidei Religionisve revelatæ captivate. Alloquor quotquot e grege Lutheri, Calvini, aliorumque ejusdem furfuris Pseudo-Magistrorum, prodijistis: iram frænate; in Tridentinum debacchari omittite, & Ecclesiæ Romano-Catholicæ ceu unicæ sponsæ Christi obedientiam exhibete. Alloquor & vos quotquot estis, malefanos Criticos, qui Vulgatam nefarie detorquentes docetis, quæ non oportet, turpis lucri gratia: mementote quod Dominus in veteri lege m) percussit de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini; cavete vobis, ne percussiat vos Dominus, eo quod Vulgatam nostram per arcum V. Test. præfiguratam, lingua & calamo arrodere haud dubitetis.

D) Pref. in  
Dan.

m) L. t. Reg  
c. 6. v. 19.

ALTERA DISSERTATIONIS meæ pars est, in qua dilucidandum venit, qua authoritate Vulgata latina emineat in reliquis, videlicet historicis, philologicis, aliisque minoribus, e queis perniciosus error in fide, & moribus in Ecclesiam redundare nequit. Materiem inter Theologos orthodoxos, problematice ventilabilem ac modo ventilatam præ oculis habeo; quare, ne mentem meam nimis præcipitatem immaturoque pruritu aperiam, quædam in antecessum prælibanda, atque ut indubitata præmittenda esse duxi.

- 1.) Catholici omnes una voce contendunt Vulgatam latinam tenore Decreti Tridentini authenticam & fontibus primigeniis conformem esse in rebus fidei & morum; salva tamen fide inter se digladiantur, an & qualem autoritatem habeat in historicis, cæterisque allegatis.
- 2.) Per vocem *autentica* haud præfertur Vulgata primigeniis sive hebraicis, sive græcis fontibus, ex queis derivata est; sed versionibus duntaxat latinis aliis, quæ hactenus sine numero prodierant.
- 3.) Vulgata nedum est fidelior aliis versionibus, sed & simpliciter fidelis, ita ut nil contineat subdole additum, demptum, immutatum, ambigue versum ad fidei Mysteria occultanda. Hinc plus habet autoritatis, quam græcus aut hebraicus textus, cum hic uterque multis abundet, quæ Vulgata non habet; deficiat in multis, quæ in Vulgata continentur.
- 4.) Interpretatio igitur Vulgatae, cum judicio Ecclesiæ sit adprobata, illam certo credimus a Spiritu S. intentam; dum econtra aliæ interpretationes, si fidei non repugnant, tantum probabiliter, ex defectu scilicet definitionis Ecclesiæ a Spiritu S. intentæ dici possunt.
- 5.) Decreto Conc. Trid. neutiquam approbata esse menda & errata, quæ in Vulgatam vitio transribentium, atque librariorum, irreperiantur, pro explorato tenendum; ejusmodi enim menda non possunt absque injuria Catholicæ Fidei, sacra Scriptura nuncupari. His prælibatis dico Vulgatam latinam, qualis est a Conc. Trid. approbata, hoc est, emendatissime impressam, in omnibus etiam levioribus ad fidem & mores non pertinentibus, *quoad Sententiam Authenticam* esse & genuinis fontibus conformem, verisimilius videtur. Quies argumentis id ostendam, attende.

ARGUM.

ARGUM. I. Conc. Tridentinum in suo decreto *sacros libros*, prout in veteri Vulgata editione habentur, fontem appellat *omnis & salutaris veritatis & morum disciplinæ* ... Eorum testimonii ac *præsidii* in confirmandis dogmatibus & *instaurandis* in Ecclesia moribus uti se profitetur ... Isdemque uti alios omnes in publicis *Lectionibus*, *disputationibus*, *prædicationibus*, & *expositionibus*, in quibus utique tractari etiam solet de levioribus, *præcipit* ... Eadem Vulgatam non restrictive, sed absolute *Authenticam* pronuntiat. ... *Sacros Libros*, prout in illa habentur, *integros cum omnibus suis partibus*, quas omnes proinde vult haberi authenticas, *Canonicos* declarat; & ut tales *fusci* jubet ... Tandem statuit & declarat, ut *nemo illam rejicere quovis prætextu audeat*, vel *præsumat*. Hæc verba quid indigitant, nisi *absolutam*, *universalem*, nullisque limitibus *circumscriptam* Vulgatæ Authoritatem? vim hujus argumenti demonstrat timida ac verfatis loquendi ratio eorum, qui Vulgatam in levioribus non authenticam volunt, ajant enim in Vulgata, *demp-tis mendis*, quæ incuria aut oscitania librariorum irrepescere, jam nihil contrarium fidei, aut aliam falsitatem cubare; si corde ita sentiant, Vulgatam in omnibus etiam levioribus ad fidem & mores non pertinentibus quoad sententiam, authenticam esse admittunt, quid ni enim in falsitate cubat, si sub nomine *Sirenum* loco pīscis adfirmatur animal terrestre? Ajunt a Vulgata excludi errorem perniciosum, falsitatem in ea locum habere posse, modo non sit pernicioſa? Verum quoque hujus vocabuli vim porrigunt? Nonne oīnia etiam leviora saltim indirecte (ut Schoke loquuntur) ad ea quæ fidei sunt, reducuntur: E. G. quod David fuerit filius Išai &c. Nonne perniciosum satis est regulam fidei declaratam authenticam in multis etiam fallitatis jaceret? Accedit si Vulgata destitueretur authentia in levioribus, per quæ intelligis historica, philologica &c., foret longe majori sui parte non authenticæ; majorem enim vulgatæ partem historias constituere novit omnis is, qui vulgatam oculo duntaxat salutare dignatus est. Critice! si fors id tibi in mentem haud venerit, lege sis Pentateuchum, & ingenteum historiarum seriem colliges, sed cave, ne eas ex proprio tuo pruritu interpreteris, a sensu literali vulgatæ eas detorquendo contra sensum Ss. Patrum Scripturæ interpretum, iisdem sensum alienum ex textu originali, ut dicis, sed ut ego dico, ex textu spurio nulliusve fidei, perperam afflängendo. Lege & libros Josue, Judicum, 4 Regum, 2 Paralipomenon 1 & 2 Esdræ, libros Tobiae, Judith, Esther, Job, ac duos libros Machabæorum. Hos si legeris tecum ibo ad libros. Novi Testamenti, historicosque ex iis oculo tuo fistam. Sed iterum dico, cave, ne historias ac miracula in iis contenta ex spiritu tuo privato, adminiculis quiesdam haud authenticis excitato, interpreteris contra sensum litteralem Vulgatæ eadem detorquendo ad sensum quendam allegoricum, &c. aut miracula JESU Christi cum Deistis ceu effectus mīros mere tamen naturales ex causis physicis exponendo, & sic Divinitatis JESU Christi characteres e libro vitae vel delendo, aut saltim corrumpendo Socinianismum triumphare facias. Confule quæso S. Augustinum m) mibi videtur inquit exitiosissime credi, aliquot in libris sanctis haberi mendacium. . . . admisso enim semel in tantum autoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosa regula ad mentientis authoris consilium, officiumque referatur. Et tane arrepta semel hac licentia, illud in Scripturis S. repudiandi, quod ad fidem, religionemque non pertinere putatur, nihil erit, quod ab hereticis non possit hoc prætextu explodi. Socinus enim E.G. ea quæ Trinitatem divinarum Personarum confirmant, ut commentitias fabulas irridebit, haec minime ad religionem pertinere contendens; idemque eadem ratione quilibet aliis sibi arrogabit. Ita argumentatur eruditissimus P. Gazaniga Ord. Præd.

m) Epist. 28. ad S. Hieron.  
al. 8. ad S. Hieron.  
n) Differt, II. de fide pag. 213.

in Vindobonensi Universitate Ss. Theologiæ publ. Professor n) & quidem energice ita argumentatur, si onim admittis S. Scripturam autoritate Ecclesiæ vidimatam in falsitate unius sententiae, sive historicæ, sive philologicæ cubare, qui me, si Arii, si Nestorii, si Eutichetis, si Macedonii, si cujuscunque Hæresiarchæ latram assūnam, de veritate sententiarum in textibus Vulgatæ nostræ, Hæresum cæteroquin jugulatoris convinces?

o) L. 20.  
moral. c. 32.

ARGUM. II. Antiquus Ecclesiæ usus videtur Vulgatæ latinæ, authenticæ universalis absolutæ, nullisque limitibus circumscriptæ donum adjudicasse. Enimvero quid Tridentinum utens his formulis: statuit & declarat aliud insinuare voluit, ac quod etiam ante Concilium verum semper fuerit, Vulgatam latinam (purgatam scilicet a mendis librariorum) sinceram, authenticam, & nosquam rejiciendam. Unde S. Gregorius M. o) ait: *credendum est, quidquid in ea (sc. Vulgata latina) dicitur, & oportet, ut verba illius nostra expositione subtiliter rimetur*. Omnia igitur in ea religiosissime haberi, & sacrosancta nobis esse vult insigne illud in cœlis modo coruscans Ecclesiæ lumen. Id quod S. Gregorius voluit, volvere & alii Patres & Doctores sanctitate non minus, ac eruditione clarissimi, qui a S. Gregorii tempore floruerent. Accedit eadem quæ primis Ecclesiæ seculis pro authentia generali editionis græcæ LXX. pugnabant rationes, sive ab

ab interpretum præstantia, sive ab Ecclesiæ judicio ductæ, pugnant item pro authentia generali Vulgatae latinæ; si igitur verio græca LXX. primis Ecclesiæ saeculis in & pro Ecclesia græca, authentia generali & absoluta eminuerit, ac in omnibus perinde habita fuerit, ac textus originalis; quid ni dicendum de latina Vulgata a Tridentino nulla facta restrictione ut authentica declarata, ac unanimiter adoptata in, & pro Ecclesia latina, in qua fides est Petri, ac vera religio, & fides mansura erat?

ARGUM. III. Congruum erat providentiæ divini Numinis omnia suaviter, ac ordinate in bonum Ecclesiæ disponentis, unam in Ecclesia Christiana designare Scriptaram plene authenticam, ad quam tum fontes hodiendum de corruptione suspecti, tum aliæ versiones aut oscitantia librariorum, aut malitia hereticorum mendosæ exigi, ac si opus est, corrigi valeant, ne Ecclesia in re omnium præcipua, exorta crisi, vacillet. At cuinam prærogativa illa certius competit, ac Vulgatae latinæ? Et sane si Deus infinite providus Judæis olim uti & gentibus ad christiana sacra converfis, versionibus ex integro authenticis providerit, quid ni dicendum de Christo in & pro lege Gratiae?

Hæc sunt, quæ pro Authentia Vulgatae latinæ contra Heterodoxos, Deistas, nec non maleferiatos Criticos proponenda duxi. Ne vero pugna egressus videar, ab hoste nullo lacesitus, Te provoco Plurimum Reverende, & Eximie P. WALTERS, Heterodoxorum, Deistarum, ac maleferiatorum Criticorum cause etiæ desperatae Advocatus esto, Goliathum simula, ac ita ex parte Philistæorum, exprobra acies Dei viventis pro tua, qua polles, Eruditionis æque ac fermonis facundia.

### I M P U G N A T I O.

**C**ontra Heterodoxorum, Deistarum, ac maleferiatorum Novatorum errores corrupta hac ætate sibi quidquid pro libitu suo cogitandi, scribendique libertate plus nimium arrogantium, strenue certasti Laureande Pater; ne imposterum contra Vulgatam nostram S. Scripturam ausu plus quam temerario insurgeare audeant, eorum ori frænum injecisti eos convincendo S. nostram Vulgatam non modo in rebus Fidei & morum, sed & in omnibus etiam levioribus ad Fidem & mores non spectantibus quoad sententias ita esse authenticam, ut nemini ab eadem recedere liceat. Tam invicte id probasti, ut præsentis certaminis polemici victoriam in anteceßum tibi ex animo congratuler. Hic tamen triumphus, ut tibi gloriöſior orbique catholico utilior, quæ adversus dogma modo satis propugnatum a malesanis hodiernis sciolis solent conglomerari argumenta, in medium producam, non ut aliis arma subministrem (absit id a me quam longissime) sed potius ut alii per eorundem solutionem dearmentur, sicutque inermes se imposterum cohibeant, corrigan, majoremque nobiscum erga S. Scripturam venerationem habeant. Vis, ut Goliathum induam, ecce! præsto sum, stans in fronte Philistæorum exprobans agminibus Israel hodie motiva a te pro autoritate Vulgatae allegata penitus enervabo. Queis momentis id evincam, attende.

Tempore Conc. Trid. innumeræ admittis S. Scripturæ versiones, idem lumbens fateor, sed fundate exinde quero; vel ergo Patres in ista Synodo in Domino congregati, antequam ad suum decretum properarunt, prævie omnia ista exemplaria autographa hebraica, chaldaica, græca &c. reviderunt, & cum suis apographis latinis, germanicis, hispanicis, gallicis &c. contulerunt, vel id non fecerunt? si singula reviderint, & ad invicem compararint, utique innumera volumina ad manum habuissent; qua quæso occasione ex toto orbe christiano Tridentum venissent? gratis interim admisso illuc fuisse per varios currus aut nuntios allata, non invenio tempus sufficiens, quo ista reviſio, totque tantorumque voluminum sedula collatio fieri potuisset: prima enim Sessio contigit 13. Decembris 1545, & quarta Sessio ubi decretum conditum afferitur, habita fuit 8 Martii 1546. Primam proinde inter & quartam Sessionem vix fuit tempus trimestrale, certe insufficiens pro lectione, relectione, & accurata collatione tot tantorumque variorum Idiomatum voluminum, nisi unum vel alterum ibidem Argum fuisse probaveris, vix me convinces. Propterea Patres de facta revisione filuerunt. Si secundum membrum amplectaris, concedendo non fuisse factam revisionem; jam aut ipsos Patres facis judices cœcos, aut tibi ipsi contradicis, afferendo consultum fuisse, ut una tanquam legitima & authentica declararetur, si una eaque sola Vulgata latina, aliæ tales non fuerunt agnité, ergo aut lectas admitte, aut judicium ibi fuit cœcorum de coloribus. In exemplo res est clarior: ponamus in quopiam tribunal viginti E. G. esse copias aut transcriptiones; ex his una solum a judge declaratur authentica aliis nequidem revisis. Quale quæſo stud foret judicium? nunquid justissime contra talem fententiam exciperent de-

scriptores aliarum novendecim, quod suæ descriptiones nequidem revisæ, & tamen uni isti postpositæ? Inauditi fuissent aut condemnati, aut saltem implicite declarati tanquam suspecti de falsitate; unde decreti Tridentini de Vulgata præcipitiam in ipsomet Concilio accusarunt rationes Aloysii Catanensis contra illud obmotæ, quæ tamen in medio fuere relictæ. Imo contra decretum illud etiam Romæ vehementer obmurmuratum est ab Aulicis, & quidem tali energia, ut impressio decreti retardata & quæstiones ad Legatos Pontificis delatae fuerint. Et profecto admiratione dignum, quod congregatio quinque Cardinalium, 48. Episcoporum, qui parvis Diœcesisibus præerant, iisque nec magni Theologi, & maximam partem Aulici, definierint tanti momenti rem, declarando authentica Versionem a fonte discrepantem. Sed his non attentis decisionem fuisse profola nostra vulgata probas ex antiquitate, qua longo tot sæculorum usu in Ecclesia invaluerat; verum si authentiam antiquitati adnectere velis, potiori jure ego antepono Versionem LXX., hanc enim Vulgata antiquorem esse non denegabis, sciens illam contigisse a LXX. interpretibus ad id mediante magno Synedrio florente adhuc Judæorum republica selectis aliquot sæculis ante nativitatem Domini. Ipse Salvator noster Christus, ejus Apostoli & Evangelistæ eum honorem eidem detulerunt, ut quando ex veteri Testamento testimonia proferrent, non aliter ea enuntiaverint, quam juxta editionem LXX., etiam ubi maxime ab hebraico textu discrepare videbantur, scientes propemodum LXX. istos Spiritu S. inspiratos scriptissime. Ecce Versionem Vulgata priorem tempore, ergo & jure potiorem. Hæc est fons jam dudum ante D. Gregorium omnibus patens; ex illo aquas limpidas hausit D. Hieronymus, aliique ante & post ipsum innumeris; visne illum, ne & nos secure adeamus, nobis præcludere? certe hoc facis solam latinam defendendo pro authentica, sicque ad eam potius attendamus necesse est, quam ad LXX. numquid autographa majoris autoritatis sunt quam apographa? profecto LXX. plus vident, quam unus. Quid sit in judicis, ubi de rei alicujus proprietate agitur, aut dominio? ut primum exhibentur documenta originalia, lis decisa est, sententia fertur in favorem ejus, pro quo dignoscuntur originalia. Miror, Laureande Pater! quod tam parvi æstimis autographa, authentiam tribuendo solis copiis. Declaratio Conc. Trid. erit tua excusatio. Repono: hoc Concilium non potuit, sic enim egisset in præjudicium autographorum præsertim præcipiendo, ne quis Vulgatam quovis prætextu rejicare audeat vel præsumat. Prohibitio tangit solam latinam, ergo hebraica aut græca rejici poterit, particula euim *sola* est exclusiva; ergo fontes non sunt ejusdem æstimabilitatis. Sequelam forsitan negabis? reflecte ad singularem prærogativam authentice concessam soli Vulgatae, & denegationem fontibus; sic sequelam habebis legitimam. Concilium ante suum Decretum utique agnovit Vulgatam concordare cum suis fontibus. Igitur Authentia ab iis petenda, igitur illi magis authentici, nam propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale, ubi utrumque ejusdem denominationis est capax. Ni capacitatem pro autographis admiseris, Ecclesiæ orientales utentes versione græca, syriaca vel cethiopica; verum Dei verbum non haberent; imo quod pejus & apertissime est contra providam gubernationem Christi, universa Ecclesia authentica Scriptura caruisset per tot sæcula, quot ab ipsius origine fluxissent usque ad Concilium Tridentinum, ubi primitus fuit declarata authentica. Hæc si fateri nolis, rationem exspecto, quare sancti Ecclesiæ Patres Augustinus, & Hieronymus, ac alii passim ad hebraicos, græcosque Scripturæ fontes ceu primævos textus recurrendum esse doceant, quoties latinaræ Versiones corruptæ videntur, aut obscuræ. Puriores igitur sunt isti fontes: exinde tutius bibimus; quod ut fiat frequentius, quam alias, ante aliquot annos refloruerunt linguae orientales, dum jam a Professoribus sedulo traduntur, & a Discipulis laudabiliter addiscuntur. Vide sis notiones generales hermeneuticas S. Veteris Testamenti R. P. Thadæi a S. Adamo, queis visis, quid de fontibus judicandum sit, agnosces. Tertio loco authentiam Vulgatae probare conaris ex eximiis dotibus si non Authoris, saltim Restitutoris Vulgatae D. scilicet Hieronymi linguarum orientalium accurata notitia ac in vertendo fidelitate, ob insignem vitæ ejusdem sanctitatem commendatissimi. Ultimum reverenter admitto, quoad vixero, Hieronymum venerabor ut Sanctum. Sed sit hoc, suntne propterea alii apographi Idiotæ, aut de fidelitate suspecti? Cave, ne lis temerarius. Interim, an tanta S. Hieronymi notitia ac fidelitas fuerit (meum tamen judicium ad tempus suspendo usque dum aliter edocitus fuerim) ut formalem infidelitatem haud contraxerit, crisiis est, de materiali mihi videtur certo suspectus. Suspicionem hanc multis fecit, quod vertendo sæpius reddiderit sensum & hebraicæ veritati & ipsiis sacræ Litteris repugnantem, & in nominandis animalibus, arboribus, plantis & herbis erraverit. Hieronymi versio præcipit, ut nullus vir foeminam ducat, nisi de tribu & familia sua. Aperte id est contra Scripturam originalem, Moyses enim duxit alienigenam, Aaron in uxorem duxit Elisabeth de tribu Judæ, David pro sua Conjuge habuit filiam Saulis de tribu Benjamin.

b) 1. Gen. Hieronymi Versio b) habet: igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham ful.

per ignem a Domino de Celo. v. 26. cit. Cap. respiciensque uxor ejus post se versa est in statuam salti. At inspice textum originalem, & leges sensum primi versus sic sonautem: Ein Donnerwetter schlug in Sodom, und Gomorra ein, und zündete an mehreren Orten. Secundi vero versus sensus erit: Loths Frau blieb zurück, und sah sich eine Weile um; wurde aber von dem Feuer ergriffen, und lag nachgehends da, von harzigem Dampf angelaufen, und erstarret, wie ein steinernes Bild. Eh! quam sancte Ecclesia sequens versionem Hieronymi ad nostra usque tempora decepta fuerit in utroque miraculum pie credens, cum tamen utrumque ex causis physi-  
cis facile explicari queat. Vide sis Scripturæ aus dem Grundtexte des ersten Mosaïschen Buches, mit Anmerkung über etlich Ausdrücke im XIX. Kap.; unter dem Vorlage des P. Thaddæus vom h. Adm. &c. vide sis v. 1. Gen. 3. — v. 24. Gen. 5. — v. 17. Gen. 6. — v. 25. Gen. 32 &c. haud concordare textui originali. Cave autem, ne expositiones citatorum versuum ex textu originali orthodoxe non minus, ac erudite depromptas, cum P. Hermann Goldhagen cavilleris, easque ceu scandalosas a D. Michaelis viro sublestæ Fidei instillatas carpas, te enim cachinnis exponet author et si anonus apologetice, ac docte scribens sub titulo: Katholische Betrachtung eines Kölnischen Theologen über die Scripturæ des P. Thaddæus vom h. Adam. Ad ruborem usque quoque convinceris ab alio authore sub titulo: Zweite katholische Betrachtung eines Mainzisch-Erierischen Rechtsgelehrten, und hochfürstl. Hohenloh-Bardensteinischen Hofraths, J. E. ... Lege sis Pag. 20. corollaria, quæ fatus author legitima ratiocinatione deducit ex Pauli Josephi a Rieger Vindebonæ Juris Ecclesiastici Professoris P. O. Dissert. Canon. jurid. de sacra Script. V. & N. Test. 1758 edita. Ex his colliges 1.) Conc. Trid. nos certos reddere voluisse in iis præsertim, quæ ad Fidem & mores pertinent, nullos in vulgata interpretum errores esse. 2.) Nihil hinc præjudicari Authenticitati fontium Hebræorum Græcorumque, ex qua utique etiam Vulgata Versionis latinæ Authenticitas consistit. 3., in iis, quæ Fidem & mores spectant minus tute fontibus illis fidem haberi, siquando a Vulgata dissentiant, atque eo in casu eos ex hac corrigendos esse. Limites Authenticitati Vulgatae hic fixos perpende. Et dato, quod singula enodaveris, male tamen infers Vulgatae nostræ convenire notam Authenticæ, quia vertens fuit S. Hieronymus; sequela mihi non arredit, quia scio Hieronymum in vertendis S. Scripturis non suisse infallibilem. Eum speciali Dei auxilio suisse adjutum, gratis a pictoribus, quibus multa licent, ostenditur. A S. P. Augustino c) non agnoscitur, eumque in vertendo libro Job erore aliquem commissile evidenter probat.

<sup>c) Epist. 10.  
ad Hieron.</sup>

Ex his Laureande Pater! secundæ tuæ Dissertationis pars suapte ruit; nimium probasti, consequenter nihil, scio Vulgatam in multis esse corruptam, non meris mendis levioribus ex librariorum incuria aut oscitantia insperatis; has enim prudens Lector ex se emendare valet, & corrigere, quid igitur a Ss. Patribus suadetur recursus ad autographa? Frustra multiplicantur entia sine necessitate, frustra sit per plura & ardua, quæ statim saltem omnibus non sunt ad manum quod potest fieri per pauciora & faciliora omnibus S. Scripturam legentibus communia. Dicendo eam etiam in levioribus suis fontibus esse conformem, plus asseris, quam Patres Tridentini intenderunt. Te fundas in verbis prohibitoris: ne quis Vulgatam quovis prætextu rejicere audeat. Ligat prohibitio, quando agitur de rebus ad fidem aut mores pertinentibus, minime vero in aliis huc non spectantibus. Objectum enim & scopus unice fuit, ut haberemus certam aliquam Regulam pro definiendis fidei dogmatibus reformatisque moribus, voluitque S. Synodus tantum perstringere Protestantes, qui integros libros e Canone expunxerunt, & aliquos, nonnulli demptis aliquot partibus ut divinos recipiebant v. g. Libros Esther, Danielis &c. Hinc Andreas Vega, qui ipsem Tridentino interfuit d) ait: eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam fædatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset. atque adeo adjicit: ne quis &c. & addit: quod Cardinalis S. Crucis, qui illi Sessioni præfuit plures sibi testatus fuerit: nihil amplius Patres voluisse firmare. Tempera proinde indiscretum tuum zelum, nimium enim fimbriam extendis, præter Concilii mentem exaggerando Vulgatae tuæ latinæ Authenticiam; non sis ita rigidus, viam medianam hodieum a Catholicis sat tritam elige, & tutius ibis, saltem contra Synodum non impinges. Redeamus ad eam: iplissima ejus formalia sunt: decernit & statuit, ut post hoc sacra Scriptura, potissimum vero hæc ipsa vetus & vulgata editio quam emendatissime imprimatur. Igitur mendas agnoscit saltem leviores; ideo ut debite purgaretur, jussu Romanorum Pontificum laboratum est a viris doctissimis; amabo, ad quid istud, si errores fuissent solius typi? ejusmodi enim errata a quovis mediocreiter docto facilime inveniuntur, & emendantur. Itaque Anno Christi 1590 jussu Sixti nova & castigatior editio Romæ prodit. Neque hæc satis emendata. Biennio post nempe 1592 ipse Clemens VIII. novam editionem aggressus est, in qua plurimos errores, qui in Sixtina manferant, correxit. Neque tantum (ut viam effugiendi præcludam) qui typograhi incuria irrep-

<sup>d) L. 1. de  
just. c. 9.</sup>

irreperant, sed etiam multa de industria mutata & correcta invenimus, quæ a Thoma Jamesio bibliothecario in singulari libro de earum editionum differentiis conscripta ad duo millia recensentur, quæ Clemens VIII. ex Sixtina editione, sua auctoritate sustulit, & secundum textus originarios reformavit. Quamvis in ista Clementina a Correctoribus Romanis maxima fuerit impensa diligentia, nolo tamen idcirco afferere eam editionem numeris omnibus ita esse abolutam, ut nihil melius, clarius, aut distinctius dari queat. Idcirco author præfationis in ista Biblia aperte loquitur: *in hac sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt, quia sic faciendum esse ad offenditionem populorum vitandam S. Hieronymus suo tempore non semel monuit.* Ad quid ista monitio? nulla populorum officio fuisset timenda, si ista mutanda fuerint mera errata Typographorum; illa certo non fuissent immutata relicta. Ex Reverentia fileo, quod Franciscus Lucas Brugensis vir utique doctissimus & modestissimus 4000 loca ostenderit, quæ in Bibliis Clementis VIII. errata. Denique jussu Urbani VIII. Anno Christi 1631 tertia ad lucem venit Vulgatae editio facta in leuioribus aliqua emendatione. Atque hæc deinceps instar normæ fuit, a qua nulli typographorum licuit discedere. Nunc ad rem: si necessum sit in Ecclesia christiana unam esse Scripturam plane authenticam, juxta quam aliæ editiones de corruptione suspectæ possent corrigi, quænam igitur pro tali a Tridentino fuit declarata? vel illa quæ hodie existit, & jussu aut Sixti V. aut Clementis VIII. aut Urbani VIII., vel illa quæ tempore Concilii modo existebat? non Sixti V., neque Clementis VIII., neque etiam Urbani VIII.; tres enim istæ tunc nondum erant, nec proinde tunc de iis judicium formari potuit, & Patres Tridentini scire nequiverrunt, quales versiones istæ futurae, an corruptæ, an emendatae, neque pro illarum authenticæ fæ vades dare poterant aut fidejusfores. Multo minus illa, quæ tempore Concilii erat impressa; illam enim omnes plurimis erroribus inquinatam sciverunt. Majori proinde cum fundamento ultimam nempe Urbani VIII pro authenticæ habuero, quam tres primas, nam quo plures & diligentius aliquid est correctum, eo magis censetur authenticum, suoque originali conforme, juxta quod facta scitur correctio. De correctione ter facta nullus dubitat, de diligentia in emendando adhibita, sat moraliter certi sumus, quis enim suspicabitur Correctores a Sede Apostolica deputatos non attendisse ad Decretum supra relatum, ut quam diligentissime imprimatur. Quomodo hic effugas non video, januam forsitan non invenies, rimam quære per me licet, & hanc nimis angustam experieris; præsertim si velis attendere ad tuæ Vulgatae stilum in multis impolitum, pedestrem & plane barbarum, reflexerisque ad plurima valde ibidem obscura, absconsa, jocosa, & ridicula. Prætereo singula, unicum solummodo lege librum Canticorum. Præ reliquis ibidem e) insulsam reperies adjurationem: *adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa venit.* Quis credet ejusmodi esse verbum Dei, aut similia a Spiritu S. Scriptoribus sacris fuisse dictata? loquens ne loquendo mentiatur, debet proferre singula, sicut habet in sua mente, aut uti enuntianda cognoscit. Deus autem omniscius & infinite perfectus, omnia quæ ab æterno ut aliquando à se nobis preferenda in divina sua mente habuit illa fuerunt clara, evidenter, sincera, suæ Sanctitati ac immensæ tremendæque Majestati congrua. Magister quo magis scientificus, eo magis ad Discipulorum captum loquitur; quis ergo aliter præsumere auderet de supremo Numine omnium scientiarum origine? nisi verba S. Scripturæ in nostra Vulgata cum ejusmodi loquente concordent, vix aliquis illam habebit pro authenticæ Verbo Dei. Crediderint id olim aliqui rudes, & simpllices: hocce tamen sæculo magis polito & illuminato negabunt plurimi, usque dum ipsis plenioræ credibilitatem, proponendo motiva magis convincentia quis fecerit. Interim singulis ipsis non obstantibus demus Decretum toties relatum esse partum Tridentini; sit hoc, quid inde sequitur? jam vetustate evanuit, & est obsoletum; ut idem infortunium obvenit Decreto subsequenti: ut nulli imposterum liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Authoris. Quot ejusmodi libellis anonimis Christianus orbis hodiecum sit obrutus, scimus omnes; & experimur quotidie. Si igitur hoc non amplius attendatur, quare alterius vigorem urges & observantiam? ergo vel utrumque, vel neutrum admittendum videtur.

Ecce Laureande Pater! hæc judico præcipua Novatorum contra Authentiam sacræ Scripturæ argumenta, quæ pro singulæ tua eruditione ac facundia a Te elidenda sunt; quod si egeris, completa te manebit victoria. Et sic obstruendo ora loquentium iniqua commune Ecclesiæ bonum non parum promovisti. Antequam tamen Lauream Doctoralem tibi adgratuler, mihi promittas velim, quod totus quantus Linguis Orientalibus vacare velis, cum a me abunde demonstratum sit, neminem absque notitia Linguarum Orientalium Scripturam intelligere posse, imo absque hac notitia nullum dogma Theologicum ex Scriptura probari posse demonstrent alii. Quare cum nondum Abraham vidisti, quinquaginta enim annos

annos necdum habes, cura, ut prius videas Moyse<sup>n</sup>, intelligo, ut scias legere & interpretari Pentateuchum in Lingua hebraica, chaldaica & græca. Ego sexagenarius ob debilitatem oculorum dignoscere nequeo hosce characteres, et si in subfidium adhibeantur perspicilla sive convexa, sive concava. Te quoque moneo, ne te afficies Theologis et si primæ classis, nil tamen nisi tricas Scholasticas somniantibus, qui in hoc ultimo quadrante sæculi XVIII. insurgebant, Fideles scilicet in Christo defuncti P. Sasserath interpretes novum Christi-fidelibus dogma elata voce obtrudere volentes. Specimen aliud eximum studii Theologici reformati, et si more Majorum promovearis, a te expecto. Utrumque te facturum sciens Lauream Doctoralem ex corde tibi aggratulor.

### R E S P O N S I O.

**C**ausam Novatorum et si pessimam optime tamen propugnasti, Pater Eximie! Advocatum Diaboli hodie simulaisti clarissimum, Goliathum agminibus Israel insultantem induisti loricatum. Ne tamen Novatorum petulantia in oris ac eruditioñis tuæ facundia glorietur in vanum, atque ante sui erroris victoriam canat triumphum, ea quæ pro vindictis produxisti momenta, ad Limam revocare permitte. In nomine igitur Domini exercitum ad te venio non cum gladio, hasta & clypeo, quia non in gladio nec in hasta salvat Dominus, a) neque lorica indutus, sed sola cœlestium eloquiorum armatura munitus singula, queis exprobrafiantur acies Dei viventis, enervabo. Queis momentis id evincam paulisper attende. Triplici argumentorum funiculo, quem in prima Dissertationis parte texueram, tricuspidem opponis gladium. Sed confido, nodus est gordius, quem nunquam solves.

§. I. Tempore Conc. Trid. innumeratas extitisse S. Scripturæ Versiones lumbens lateris, sed capere haud potes, quo jure Tridentinum solam Vulgatam ad sublime Authentiæ fastigium elevare potuerit cæteris omnibus versionibus pro hac prærogativa æquo jure certantibus evidenter præjudicando; id enim fieri haud poterat, nisi ais innumera volumina videlicet omnia autographa, singula apographa per orbem christianum dispersa, adminiculis curruum aut nuntiorum Tridentum fuerint allata, singula apographa cum autographis collata, ac detecta concordantia folius Vulgatae latinæ cum autographis decretum de authentia folius Vulgatae conceptum ac publicatum fuerit; id vero nec factum fuisse imo nec fieri potuisse, ex rationibus allegatis evincere putas. Verum huic argumento in longum et si a te protracto nullam inesse vim, ipsem fateberis, si dicam Vulgatam latinam tot Sæculorum usu probatam, autographis (quæ utpote non amplius extantia Tridentum afferri non poterant) conformem a Patribus Tridentinis declaratae fuisse, quin necessum fuerit cæteras omnes versiones vel ab hereticis, vel ab aliis queiscunque Authoribus compilatas revidere, ac examinare; satis hoc fuisse testatur Pallavicinus a) ad obstruenda Hiereticorum ora, blaterantium, doctrinam Catholicorum legitimam esse non posse, cum libri, quibus ceu fundamentis innitebantur, adulterinis versionibus conflarentur. Id quod subiectis exemplum de Copia in Tribunali politico vidimata in conflictu novendecim copiarum, est potius contra quam pro te: ponamus certam familiam per plura sæcula in tranquilla bonorum possessione vixisse; pro possessionis titulo allegat testamentum, cuius licet non autographum, bene tamen apographum singulis authentiæ characteribus insignitum habet; insurgunt novissime novendecim pescatores jus ad illa bona sibi arrogantes, copias testamenti, ut jactant, authenticas, quas tamen Judex vel a tergo, vel in fronte legit confictas & novas esse, producentes; anne Judex iniuste & cæco modo procederet Primam testamenti copiam singulis notis characteristicis constantem vidimando, cæteris vero copiis aut in fronte suspectis, aut in tergo stigmatizatis nequidem revisis ulteriusque discussis? applica. Ex quo fluit eximie Pater, quod nimis præcipitanter Tridentinum præcipitantiæ incusaveris ob rationes F. Aloysii Catanensis in Concilio contra decretum conceptum obmotas, quas tamen in medio relictas fuisse afferis. Imo ais contra decretum illud etiam Romæ vehementer obmurmuratum esse ab Aulicis, & quidem tali energia, ut impressio decreti retardata, & quæstiones ad Legatos Pontificis delatae fuerint. Et sat mirari nequis, quod congregatio quinque Cardinalium, 48 Episcoporum, qui parvis Dioecesibus præerant, iisque nec magni Theologi, & maximam partem Aulici definierint tanti momenti rem, declarando authenticam versionem a fonte discrepantem. Verum Eximie Pater! haec non tua, sed Suaviana Argumentatio est, quæ gigantis quidem speciem refert, sed ex eo gigantum genere, qui nubium concursu conflati, vivida solis luce difflantur. Singula paucis perstringam: Conc. Trid. oppositas F. Aloysii Catanensis rationes utpote leviores, insuper habuit, easque a Paulo Sarpio exaggeratas copiose refutavit Pallavicinus. b) Contra idem Decretum Romæ vehementer obmurmuratum esse ab aulicis ais & ego admitto, verum id ortum

a) I. Reg.  
C. 17. V.  
47.

a) Hist.  
Concil.  
Trid. L.  
6. C. 15.

b) Hist.  
Concil.  
Trid. L.  
6. C. 17.

fuisse ex præjudicatis eorundem<sup>r</sup> opinionibus, præcipiti consilio, & rerum in Concilio gestarum inconsiderantia, eventus docuit. Ut primum enim litteris Cervini Cardinalis ad Maffæum datis 24. Aprilis, & Legatorum ad Farnesium datis 26. Aprilis, informati fuerunt de cautela, a Patribus prope ad scrupulos adhibita, aliisque in Concilio gestis, obmurmuratio eorum finem habuit, imo apud plurimos in laudem & commendationem versa est. Mirari sat nequis rem tanti momenti a quinque duntaxat Cardinalibus, 48. parvis Episcopis, iisque nec magnis Theologis & maximam partem aulicis definitam esse. Mirarer & ego si verum foret, sed scias te a Paulo Sarpio multis mendaciis circumventum esse. Nam falsum 1.) est, Episcopos parvis omnes Ecclesiis præfuisse, nec oppido habiles; flos enim fuerant Italiæ, Siciliæ, Sardiniae, Galliae, Hispaniae, Dalmatiæ, item Græciae, Sueciæ, Scotiæ; EPiscopi Germaniæ Ratisbonensis co-mitiis impediti corpore quidem aberant, sed sua sensa litteris deferebant. Cardinales magna litteratura etiam in linguis græca & hebraica præsertim Cervinus, clarissimi erant. 2.) His accessere prætantissimi Europæ Theologi, doctissimi ex ipsa confessione Sarpii Generales Ordinum & Abbates, qui superioribus juncti quam illustrem reddidere Congregationem, quam spectabilem etiam numero, & præ variis prioris ævi Conciliis eminentem.

§. II. Argumentum de Authentia Vulgatae ex antiquitate, qua longe tot sæculorum usu in Ecclesia invaluerat, desumptum explodere conaris, dum reponis: si authentia antiquitati adnectenda veniat, potiori jure ego nedum versionem hebraicam, verum & versionem LXX. græcam jure merito Vulgatae antepono, hanc enim Vulgata antiquorem esse nemo denegabit, hanc ante nativitatem Domini a Spiritu S. dictatam, a Christo, ejusque Apostolis & Evangelistis in honore habitam, a S. Hieronymo in vertendo adhibitam & a Ss. Patribus, Conciliis citatam esse ad tempora usque Concilii Tridentini, imo post tempora Conc. Trid. a S. Scripturæ Professoribus in explanatione Vulgatae ceu normam dignoscendi sensum litteralem dissipandi tenebras, ac affundendi lucem indies usurpari nemo eruditorum inficias ibit. Versionem proin LXX. utpote tempore priorem, jure & potiorem fontem, jam dudum ante D. Gregorium omnibus patentem, limpidaque aquas propinantern venditas. Verum Eximie Pater! fontem nedum hebraicum sed & græcum, quem Christus ejusque Apostoli Concilia & Ss. Patres in veneratione habuere ceu genuinum aquas limpidae propinantern deprædicarunt, eundem & ego veneror & deprædico. At, ubinam, fons tuus hebraicus tuus græcus a Christo, ejusque Discipulis in honore habitus, a Ss. Patribus ac Conciliis deprædicatus, nostris temporibus salit? An forsitan, Eximie Pater! in horto tuo? Ecce; cum gaudio te proxime accedam, & ad satietatem usque tecum bibam. An forte in Bethlehem juxta portam? molestias itineris haud timeo, illuc me conferam, ut cum Davide de Cisterna ista potum hauriam. Verum ipsemet mihi dissuadebis, ne ad istud me iter accingam, probe sciens Cisternam ilitam modo exsiccatam esse. Quid igitur consilii? sitio, & quis mihi dat potum aquæ de fonte isto? en præsentes sunt viri fortes, qui irruerunt castra Philistinorum, & hauserunt aquam limpidam, & attulerunt ad me; præsentes sunt Patres Tridentini, qui in Vulgata nostra latina fontem homogeneum, quem Christus cum Apostolis, Concilia cum Ss. Patribus collaudarunt, mihi designavere. Et sane, nunquid tibi satis perspectum tum ex Ss. Patribus, tum ex ipsemet haud paucis modernis S. Scripturæ Professoribus Catholicis fontem nedum hebraicum ex industria & Hebreorum malitia adulteratum, sed & fontem græcum in quacunque etiam editione salientem non tamen amplius limpidum ac purum fluere. Dato etiam (quod tamen difficillime fiet) aquas ex fontibus deprædicatis a fæcibus depurare, ac filtro artificio ad speciem saltem puras reddere neveris, minime tamen fontes modernos hebraicos, chaldaicos, græcosque ceu regulam fidei dogmaticam orbi litterato venditare aedes; definitionem enim Ecclesiæ, quam nos de Vulgata latina habemus, tu tantisper de hebraicis & græcis exspecta. Ex his colliges, quod in vanum miratus fueris me parvi æstimare autographum, authentiam tribuendo solis copiis, optime enim novi majorem autoritatem esse originalis, quam prototypi, sed videre anhelo autographum seu originale hebraicum & græcum. Neque in declaratione a Concilio Trid. facta asylum duntaxat quæro; falsum supponis: supponis enim Tridentinum in præjudicium autographorum præcepisse: *ne quis Vulgatam quovis praetextu rejicere audeat & præsumat*. Prohibitio hæc, ais, tangit solam Vulgatam lati-nam, ergo fontes sive hebraici, sive græci non sunt ejusdem æstimabilitatis. Erras, mens enim Tridentini neutquam fuit Vulgatam fontibus primigeniis præferre, sed pro communi Ecclesiæ bono hanc solam ex omnibus Versionibus latini, quæ tunc circumferebantur, authenticam declarare. Vide cum Andrea Vega Salmeron, qui Tridentino interfuit. Neque dicas Ecclesiæ orientales caruisse ac etiamnum carere authentica Scriptura, habent enim Vulgatam; neque urgeas Ecclesiæ græcam foli textui græco ceu regulæ authenticæ inhærente, id enim de

de Græcis schismaticis lobens admittere possum; neque mirum est, hanc penes ipsos authentiam requiri, apud quos fides ipsa defecit. Socordiaæ suæ aut potius justo Dei iudicio schismatici adscribant, quod puris codicibus non gaudeant; ex quo & fluit ad divinæ Providentiae œconomiam non pertinuisse impedire, ne fontes hebraici aut lapsu temporis aut Judæorum malitia corrumperentur; gentem enim hebræam terribili severitatis exemplo repudiaverat Dominus, quid mirum, si Hebræorum codicem, ex quo, cum puritate & authentia præstaret, Christum agnoscere noluerunt. peculiari deinceps cura destituit & hoc videtur Deus prædictissime Isaiae b) auferam sepem ejus, & erit in direptionem; diruam maceriam b) c. 5.  
ejus: & erit in conculationem &c. Et quid si gratis tibi concedam codicem he-  
braicum primis Ecclesiæ saeculis non ita Judæorum malitia corruptum fuisse ac  
tempore Conc. Trid. corruptus extabat, an etiamnum illum tanquam genuinum  
ventilare audes? Cave, ne dicas; quod si hæretici Scripturam depravare ausi sunt,  
quid non ausos fuisse dicemus Judæos, inquit recte Salmeron c) qui Christum c) Proleg.  
aperto odio prosequuntur, & ut Hieronymus testis est, in suis quotidianis precibus  
maledicta & convicia Christo ingerunt, & pro abolitione regni ejus Deum deprecantur.  
Rationem a me exspectas, quare Ss. Patres aliquique Scripturæ interpretes ad  
hebraicos græcosque fontes ceu primævos textus recurrendum esse doceant, si  
fati fontes charactere authentiae haud polleant. Ratio in promptu est: id fieri  
potest 1.) si in nostris codicibus est error librariorum. 2.) Si latini codices va-  
riant. 3.) Si verba aut sententia in latina sunt ambigua aut obscura. 4.) Si ex  
fontibus vis, energia & proprietas vocabulorum intelligi melius potest. Vid.  
Bellarminus d) queis addo necessum quoque esse fontes adire, quando disputatio d) Tom. I.  
habenda est cum heterodoxis, qui Vulgatam nostram rejiciunt, aut etiam cum ortho-  
doxis nimis judaizantibus, qui textu hebraico & græco in suis ex suo genio  
factis expositionibus se defendere conantur. His auditis ex te, sciscitor Pater  
Eximie! utrum adhuc desideres ad fontes aquarum, quos tibi Hebræus aut  
Græcus offert? nauseam ex vultu tuo modo lego. — His tamen non obstan-  
tibus linguarum orientalium notitia ob rationes ex Bellarmino & a me supra  
inlinuatas apprime utilis est, & sapientissime in hunc finem dictarum linguarum  
Professores deputantur.

§. III. Tertium Argumentum, quo authentiam Vulgatæ ex dotibus D. Hieronymi si non authoris, saltim restitutoris ejusdem clarissimis persuadere conabar a Te Pater Eximie! non parum suggillatum audivi, in S. Doctore accuratam linguarum orientalium notitiam admiraris; insignem vitæ ejusdem sanctitatem veneraris; at in vertendo fidelitatem nescio qua fronte inficiari audes, for-  
malem infidelitatem in eo suspicaris, materialem ut certam de eo asseveras.  
Verum haud video, quæ insignis vitæ sanctitas conciliari queat cum infidelitate,  
quæ pars fidelis cum infidieli, quæ conventio Christi ad Belial? quæ societas luci ad  
tenebras. Quæ participatio justitiae cum iniunctitate? e) Sane te hic pessime hallu- e) 2. Cor.  
cinatum esse toti orbi christiano palam fecisti, ais quidem S. Hieronymum ver- c. 6. v. 14.  
tendo saepius reddidisse sensum & hebraicæ veritati, & ipsis S. Litteris repug- & 15.  
nantem; sed quomodo id probas? An ex eo, quod in nominandis animalibus,  
arboribus, plantis & herbis dicas illum errasse? quod an verum sit, consule Melchiorem Canum f) at dato, an ideo infidelitatis reus? Cave, ne temetipsum f) L. 2. de  
infidelibus associes probe sciens te in Zoologia, ac Botanica haud multum ver- loc. theol.  
fatum esse. Achillem adducis invicte Hieronymum infidelitatis convincentem.  
Hieronymi versio, ais, præcipit, ut nullus vir feminam ducat, nisi de tribu & fa-  
milia sua, aperte id repugnare Scripturæ originali evincunt, ut dicis, exempla,  
a te citata, ac in S. Litteris signata. Verum, Exime Pater! hujus Achillis caput  
jam dudum a Doctore Angelico D. Thoma abscessum esse ipsemest nosti. vid. D.  
Thomam. g) Lex non statuit (verba illius sunt) quod mulieres succederent in bonis g) 1. 2. q.  
paternis, nisi ex defectu filiorum masculorum, tunc autem necessarium erat, ut successio 102. a. 2.  
mulieribus concederetur in consolationem Patris, cui grave fuisset, si ejus hereditas om- ad 2.  
nino ad extraneos transiret. Adhibuit tamen circa hoc lex cautelam debitam, præci-  
piens ut mulieres succidentes in hereditate paterna nuberent suæ tribus hominibus ad  
hoc, quod sortes tribuum non confunderentur, ut babetur Num. ult. En Achillem pro-  
stratum; dum me provocas, Eximie Pater! ad librum 1. Gen., variosque ex eo  
extrahis versiculos in Vulgata latina contentos, quosque textui originali haud  
conformes esse dicis; materiem nimis vastam fistis conspectui meo, quam, ne  
limites temporis ac spatii mihi præfixi transgrediar, obiter tantum perstringam.  
Prævie tamen quædam monenda duxi: 1.) mens mea non est, nec erit, Eximie  
Pater! cavillari Positiones Scripturisticae ex textu originali primi Mosaici Libri cum  
notis &c. a te citatas, ac proin hocce tuum argumentum secundæ Dissertationis  
parti adnectendum est, in qua nonnullos orthodoxos Theologos & Scriptu-  
ristas mihi adversari scio. 2.) Mens mea nec est, inter nos instaurare  
dissidium, Fratres enim sumus, sed merum exercitium, idque veritatis enuclean-  
dæ gratia; quare si forsitan lingua aut calamus tibi in uno vel altero verbo  
nimis

nimis aspera videantur, noli credere; anima enim mea conglutinata est animæ tuæ. Ad rem igitur.

Quod si Expositiones citatorum verficularum Geneseos Canonicæ sint, lubens fateor me Authoritatem Vulgate per excellum depraedicasse; at Eximie Pater! ex quo probas illas canonicas esse? ex textu originali depromptæ sunt, ais, sed quæro an ex autographo? an ex apographo? non ex autographo, id enim non amplius extare optime scies, ergo ex apographo. At cum venia, iterum ex te Scicitor, an documenta adierre positis, ex quibus hujus apographi authenticitatem evincas? si documentis authenticis careas, authenticitatem tuū apographi his foliis ceu fulcris innitendam orbi saltem litterato noli amplius vendere, ne mercium spuriarum vendor detegaris. Igitur authenticitatis documenta ceu veritatis sigilla adferri debent; & quænam aduers? hic haeres, hic obmutescis Antagonista Eximie! interim aperi os tuum, revela secretum, detege fontem aquas vitæ salientem, ut ad eum properemus in gaudio Salvatoris aquas haurientes. Conjecturare mihi permitte, & si tetigero, veritatem edillere, suntne forsan fontes, qui tempore Christi ejusque Discipulorum saliebant? at illos nec in horto, nec in domo tua reperiri supra audisti. Annon igitur sunt fontes a nobis depraedicati, qui saliebant tempore D. Hieronymi, & ex quibus S. Doctor rivum suum scilicet Vulgatam, deduxit? at illos modotempore Concilii Tridentini vel exiliatos, vel saltum turbidos suis pariter intellexisti, ac proin defacto vel non extare, vel magis adhuc turbidos esse sequitur; nisi eos nostris temporibus filtratos & ad pristinam suam limpiditatem reductos esse demonstres. At quo Authore id factum esse ostendes? & quo in codice fontes illos filtratos affervari evinces? an forsan in codice Werhemensi, ex quo expositiones C. 19. V. 24. & 26. L. 1. Gen. exhaustæ sunt? at istum nedum Catholicis, sed & haud paucis protestantibus subleite omnino fidei esse abunde constat. At illos præjudiciis abreptos forsan dices? id an verum sit, indagemus; edic ergo quis Pontifex canonizavit Versionem Werhemensem? indubie provocabis ad D. Michaelis Göttingæ Scripturæ Professorem? at an D. Michaelis Catalogo Pontificum post mortem inferendus veniat, valde dubito; in vita enim non meruit, ut latis testantur opera ejus in S. Scripturam edita, quidquod novissime in explicatione sepulturæ & resurrectionis Christi Halæ 1785. sat superque insinuavit se in historicis libris, locisque V. & N. Testamenti nullam agnoscere Divinam Inspirationem; quo principio triumphante Socinianismum triumphaturum esse supra ostendi quæ reglas velim. Crede igitur Vulgata nostræ ab oecumenico Concilio Tridentino authentia decisiva donatae. His addo: si Vulgatam in historiis allegatis de Sodoma, & Gomorrha, de uxore Loth, de Diluvio &c. naturaliter (aus den Naturkräften) explicare & ad rationes decempedam metiri audeas; quæso! quodnam miraculum in tabulis V. & N. Testamenti confignatum eadem decempeda haud metietur Deista? Spinoza h) singula a Moyse patrata miracula naturæ vires minime excedere allerit. Miraculum trajectionis maris rubri, quod omnium maximum indubie videtur, comparat cum transitu maris Pamphilie ab exercitu Macedonum Duce Alexandro, atque ex hoc secundo naturaliter dilucidat pri. inum; rivulis Spinozæ poitea Hobbesius hortulos suos irrigare coepit, post Hobbelium Voltairius, Rouffoavius, aliique spiritus, ut vocari volunt, fortes. Et cave proin, ne similibus rivis sive a Spinoza, sive ab Hobbelio sive a D. Michaelis sive a quocunque alio tibi etiam gratis oblatis hortos tuos irriges. Si vero principia a Spinoza aliisque tibi instillata adeo blandientia ac gustui moderni illuminati sæculi unice accommodata videantur, ut desistere nolis, sed majorum istorum vestigiis insistendo, fere singula eti prodigiosa, rationis tuæ trutina librare velis, prævie a te exigo, ut quorundam phœnomenorum naturalium, quorum ego necdum claram notitiam habeo, causam physicam exponas E. G. iplius æstus marini, Magnetismi &c., & quia indubie signa quæ fecere Moyses & Aaron in Ægypto virgas in colubros mutando, pulverem terræ in Cinniphæ vertendo &c. per naturæ vires explicabis, ea æquiparando signis similibus quæ fecere magi in Ægypto, prævie mihi exponas velim, qualiter minimum animalculum naturaliter producatur; quibus expositis te Historias Miracula continentis exspecto ut exponas. Verum cave E. P., ne sapias plus quam oportet sapere, ea quæ S. Patres ex Vulgata nostra ceu prodigia ex legibus naturæ phisicis non derivarunt, nec tu deriva, ea quæ tanquam Mysteria pie crediderunt, tu noli scrutari, ad quid enim arcana Dei penetrare conaris, cum arcana Principum hujus sæculi penetrare nescias? Ex his Vulgatam authoritate Ecclesiæ authentizatam quæscunque Versionibus hebraicis, chaldaicis & græcis defacto extantibus preferendam esse satis intellexisti; ac proin textum originalem, ex quo tuas adorasti expositiones, ex Vulgata emendare labora; emendatus publicam lucem aspiciat sub hoc titulo: *Textus originalis perfidia Hebræorum, ac malitia Heterodoxorum depravatus; ex Vulgata, Authoritate Ecclesiæ canonizata emendatus.* En E. P., Spartam tibi gloriosam, & Ecclesiæ apprime utilem! ad quam si te accingas,

b) Tract.  
Theol.  
polem.  
c. 6.

cingas, ac conatus tuus faustum fortius eventum, orbis literatus, te Authore, fontes per plura saecula turbidos, falsos & amaros, nunc vero filtratos, limpidos ac dulces redditos in perpetuam rei memoriam consignabit, ac deprædicabit. Ut vero parcas tempori, codicem Wertheimensem utpote nimiis scæcibus scatem non assume, consule prævie P. Hermannum Goldbagen S. Scripturæ Moguntiæ Professorem, virum linguarum orientalium notitia eximium; interroga ipsum, & docebit te. Inter codices hebraicos & græcos modo extantes respective optimum (inter cœcos luscus) tibi designabit; huic manum applica. Fors tibi communicabit codicem hebraicum manuscriptum Moguntiæ asservatum, quem ceu fœtum primi tui conatus tum in textibus fidem & mores respicientibus, tum & in historicis & philologicis fideliter ex Vulgata emenda. — Consule & Ss. Patres, adminicula enim haud modica tibi subministrabunt interpretandi & assequendi sensum Vulgatæ nostræ, eodemque feliciter assecuto emendandi textus modernos originales. Verum, ais, saltem authoritas Ss. Patrum in historicis & philologicis non multum valet; neque illi ex professo quæstiones historicas & philologicas ventilarunt, & ad eas responderunt, sed tantum obiter & incidenter sensui morali & allegorico non paucas accommodando. Verum E. P.! ob limites mihi fixos nil repono quoad primum, vide autem Dissertationem III., quoad secundum ex te sciscitor: quando S. Pater ex professo sententiam proferre dicitur? nonne si fibimetiphi quæstionem faciat, aut quæstionem ab aliis factam cathegorice resolvat? jam vero inspice Ss. Patres, & videbis, quod vel fibimetiphi, vel aliis interrogantibus cathegorice responderint. Et quid responderunt? dico id, quod tuis expositionibus e textu, ut olim dicebas originali, de promptis, e diametro oppositum est; & sane, nonne optime nosti ultimum effugium esse, quo aliquis autoritate S. Patris aut quod plus est, Ss. Patrum in angustias redactus vitam suam salvare soleat? si dicat: ille S. Pater vel illi Ss. Patres ex professo non tractarunt hanc quæstionem. Monuisti me, E. P.! ne Expositiones citatorum Versuum ex textu originali factas caviller, tisque me cachiannis exponam ab Authoribus anonymis sub titulo: Katholische Betrachtung eines Kölnischen Theologen, & zweite katholische Betrachtung eines mainzisch-trierischen Rechtsgelehrten &c. in me indubie detorquendis. Monito tuo aures præbui, quare ab initio intimavi mentem meam haud esse cavillari; nec dissidium, sed exercitium duntaxat instaurare, & si fors lingua aut calamus in uno vel altero verbo dura & aspera videantur, duritiem emollias, mentem meam nil mali de te suspicantem probe sciens. Authorem primum, quem mihi comminatore obmoves, responso dignum non habeo, nisi larvam deponat, Theologus Coloniensis non est, vel, si fuerit, exiit ex iis, quia non erat ex iis. Larvam suam exuere ob incidentem fors aliqualem verecundiam horrebit, ne orbi palam fiat se virum illum esse, qui viros de Religione optime meritos mordacissimis calumniis arrodere haud veritus fuerit; se delarvare perhorrescit, ne publico suspicionem ingenerat se illum nequiculum esse, qui virum ex cœtu meo Seraphico non multis abhinc annis malitiosis coloribus depingere, ac publico conspectui exhibere publicamque confessionem calumniose texere, ac pérperam cum maxima injustitia fingere præsumpsit. Eti si forsan ultimum neget, ego assevero, quod saltem frater illius fuerit. Alterum anonymous, quia aliqualiter calamus temperavit, unica responsione dignum censeo. Fatus anonymous i) ex dissertatione Pauli Josephi Rieger tria deducit corollaria a te citata, queis authentiæ Vulgatæ limites determinari afferit, sed permitte E. P.! ut & ego ex citatis corollaris mea corollaria reflexa proferam: si Tridentinum nos certos reddere voluit in iis præsertim, quæ ad fidem & mores pertinent, nullos esse in Vulgata interpretum errores; si extra authenticitatem fontium Vulgatæ versionis latinæ authenticitas consistat; si in iis, quæ Fidem & mores spectant, minus tute fontibus illis fides habenda, si quando a Vulgata dissentiant, atque in eo casu eos ex hac corrigendos esse. Si hæc ut certa inferas; infero ego, 1) quod Vulgata textui originali (saltem moderno) præferenda sit; quod tamen contradicit notionibus generalibus hermeneticis sacris a te supra allegatis k) 2) Quod fontes hebraici & græci in iis, quæ ad Fidem & mores spectant, suspectæ fidei sint; Vulgata vero fidei indubitatae, quia divinæ. 3) Quod fontes in historicis & philologicis minus tute accedamus; secure vero in iis adeamus Vulgatam; in iis enim, quæ Fidem & mores spectant, fontes minus tutos Vulgatam vero securissimam esse admittis, qui evinces fontes in rebus maximi momenti sublestæ, in levioribus indubitatae fidei esse? Vulgatam vero in rebus maximi momenti certæ, in levioribus vero dubiæ fidei esse? hæc, ut puto, satis enodata videntur. Sed ais, sequela mihi non arridet, Vulgata est authentica, quia vertens fuit S. Hieronymus. Sequela nec mihi arridet, si aliud antecedens non fuisset. Vulgatam authenticam dicrem, si tu author vel restitutor ejusdem fuisses, & Ecclesia illam authenticam declarasset. S. Hieronymum in vertendis S. Scripturis infallibilem fuisse non allerui, eum divinitus excitatum fuisse præter Patres afferit Clemens VIII. in Præfatione Romanæ editioni præfixa. Ex his fere singula, quæ contra secundam Differ-

i) Pag. 19.  
& 20.

k) §. 7. pag.  
10.


Dissertationis partem obmoves, soluta habes, ut vero tibi ex integro satisfaciam, compendiose tua argumenta recensebo, & enervabo.

§. IV. Vulgatam multis mendis scatere asseris; assero & ego, sed illa ex librariorum incuria proficisci haud posse dicis; inficiar ego. Ss. Patres recursum suadere ad autographa ais; suadeo & ego, si non ad autographa, quæ ut audiisti, non amplius extant, saltim ad apographa hebraica, græca &c., & quare? Revoca in memoriam, quæ supra dixi. Vulgatam in levioribus authenticam esse verba Tridentini, ut dicas, neutquam evincunt, Tridentinum enim suo Decreto perstringere voluit duntaxat Protestantes, qui integros libros e Canone expunxerant, verum dicas, mens Tridentini fuit tantum hæreticos directe configere protestantes, sed verbis Tridentini, ut jacent, absolute acceptis, ego te mihi adversarium e latere configo. Scio te provocare ad testimonium Andreæ Vega & quorundam aliorum, scias me provocare ad ipsa verba Concilii, quæ majoris ponderis mihi videntur, quam verba unius vel alterius privati Theologi. Catalogum mendarum vulgatae inspersarum ad longum & latum texis; ad Lucam Brugensem qui in editione Clementina, quæ tamen emendatissime videtur impressa, 4000 loca mendosa recenset; sed quid inde? quot loca mendosa notasti in prima & secunda correctura præsentis impugnationis tuæ? & quot adhucdum in ea notas tu, & notant alii? hic proportionate calcula. Sed ais: cur Author Præfationis in ista Biblia aperte loquitur nonnulla consulo mutata esse, quædam vero, quæ mutanda videbantur, consulo inimmutata esse relicta? rationem credo a me non exspectas, eo quod ex S. Hieronymo eandem modo dederis: quia sic faciendum erat ad offensionem populorum vitandam. Et sane non vacaret temeritate, si quilibet pro libitu in Vulgata vellet corriger, quæ existimaret menda; id judicio Sedis Apostolicæ relinquendum. Ad Jammesii Protestantis invictivas nullius momenti contra Pontifices in *L. Bellum papale sive concordia discors Sixti V. & Clementis VIII. circa bieronymianam editionem &c.* satis respondet Bukentopius, quem consule, si vis, Tridentini Decreto ipsa vetus & vulgata editio longo tot &c. pro authentica declarata est. Vide supradicta. Ecce E.P.! januam apertam habeo, rima proin, quam consulis ut quererem, haud indigeo. Vulgatae stilum fuggillas probe sciens te Vulgatae sententias incassum hucusque fuggillare; ast iste est mos Criticorum in sua minus sobria crisi agonizantium, queis te hodie associasti. Vulgatae dum dicas inspersa esse plurima absonta, jocosa & ridicula, bilem mihi moves, ex te proin scilicitor, qua fronte istam blasphemiam in confessu adeo solenni eructare autus fueris? Provocas ad verba citata Canticorum; at hæc sancte & calte intelligenda esse jam pridem novisti, recognites ve- lim, annon nimia, qua usus fuisti, loquendi licentia, pueros scandalizaveris? Vulgata in omnibus clara foret, si esset verbum Dei, ais; sed quæro an textus originales, quos adeo deprædicasti ac ut verbum Dei incorruptum ventilasti, in omnibus clari ac perspicui sunt? si hoc, unde tanta dissensio te inter & Rabbinos? voluntatem Dei, ordinem docentium ac dissentientium in Ecclesia sapientissime adornantis, in spiritu humilitatis adora. Ad agoniam tandem deveniens vis Decretum Tridentini modo obsoletum esse, uti hocce infortunium obvenit Decreto subsequenti: *ut nulli imposterum &c.* Verum ex quo probas Decretum illud subsequens obsoletum esse? ejusmodi libellis anonymis, ais, christianum orbem hodie domum obrutum esse, scimus omnes, & experimur quotidie. Scio & ego & expertus sum, quando me provocasti ad duos illos anonymos a te citatos; qualem erga ipsos reverentiam ostenderim, audiisti; primum nullo, alterum uno simplici responsu dignatus fui; quare ut exitus litis habeatur, transactionem amicabilem tecum ineo; tibi concedo Decretum Tridentini subsequens Francosurti & Lipsiæ, ubi citati autores suum conatum typis mandatum saltim aslerunt, obsoletum esse: tu igitur & mihi concedere debes primum Decretum Tridentini de authenticâ Vulgatae in toto orbe christiano receptum esse ac vigere.

Pro Coronide a me Exigis P. E! ut linguarum orientalium notitiam mihi conciliem; audivi vota tua, eisque si occasionem nactus fuero, satisfaciam, non eo fine, quia ut ais, nemo absque notitia linguarum orientalium scripturam intelligere potest; etenim hoc falsum est, Vulgatam enim nostram canonice a Tridentino declaratam intellexere, ac etiamnum intelligunt plures alii absque notitia linguarum orientalium; intelligam & ego. Neque ex eo, quia, ut dicas, absque hac notitia nullum dogma theologicum ex Scriptura probari posse alii demonstrant. Aliorum demonstrationem a via veritatis deflectere cunctina die tibi ostendam in Dissertatione orali e Cathedra proferenda, cuius Thæma a sapientissimo D. Promotore propositum, ac ad elaborandum demandatum est sequens: ad ratiocinium firum ex loco theologico Scripturæ S. formandum sufficiens est Versio Vulgata latina. Igitur diligenter attende. Sed ideo ut sciam, in queis & quot falsitatibus moderni textus originales cubent, & sic ut tibi in novo supra citato laborendo opere, cuius titulus: *Textus originalis &c.* aliqualiter ad manum esse valeam, sicutque eo citius opus præfatum Ecclesiæ apprime utile typis de-

demandari queat. Miror vero P. E.! alterum tuum quod subiectis monitum, ne scilicet me associem Theologis et si primae classis nil tamen, nisi tricas scholasticas somniantibus, quos novissime in hoc ultimo quadrante Sæculi, XVIII. insurrexisse afferis, fideles scilicet in Christo defuncti P. Safferath interpretes novum Christifidelibus dogma elata voce obtrudere volentes. Miror, inquam, hocce tuum monitum, id enim non ex ore tuo profectum, sed alienis labiis tibi communicatum esse judico; & an fallar, ediscere; nosti enim tu in hujate Universitate Theologos five primæ, five secundæ classis (quos pro tuo genio dispescere potes) Eximios nedum scholasticos, sed & historico - scripturistico - dogmaticos, Græcos, si forsitan non perfecte Hebræos; nosti & ab hujate Facultate Theologica, ceu secunda Matre (uti & ab aliis Facultatibus Universitatis Colonensis) enutritos prodiisse filios, qui aliis orbis Christiani Universitatibus, Academiis, ac Palestris dispensati Philosophiam, Theologiam dogmaticam, scripturisticam, Christiano-moralem, Historiam Ecclesiasticam, Jus Canonicum, Jus Publicum, Jus Civile, Medicinam &c. cum maximo applauo ac ineftabili Matris suæ exultatione explanarunt, ac etiamnum adhuc explanant. Non sperem tuum mihi datum monitum a quodam filio hujus Matris tibi instillatum esse; justam enim profecto querulandi cautam dedisset Matri suæ: filium enutrivi & ipse sprevit me. Et cum venia, dum me mones, ne me associarem Theologis, quos fideles dicis in Christo defuncti P. Safferath interpretes, quid per hoc vis indigitare? Ironice te haec protulisse certe credo; an vis fuggillare personam, aut Theologiam ejusdem typis datam? non primum, illum enim in Christo defunctum ac cum honore sepultum esse ipsem fateris; vis proin durtaxat fuggillare ejusdem opuscula; cum Theologos primæ classis fideles P. Safferath interpretes dicas, probe sciens illos opuscula ejusdem Theologiae Auditoribus prælegere, sed quid in hoc placuli? fors tibi non arrident singula in ejusdem Tomis contenta? sit hoc, illi, quos dicis interpretes, non jurarunt in singulas sententias tomulis insertas, sicut nec tu jurasti in singulas historias prout illas delineatas habes in Patre Berti ex Ordine tuo. Theologos istos dicis novum Christi dogma elata voce obtrudere voluisse; ediscere quodnam est illud dogma novum, ut novitatem hancce declinare sciam? sane nullum assignare poteris a Facultate hujate Theologica propositum, canonizatum, quod reapse canonizatione dignum haud erat.

Acquiesce igitur, E. P.! plura vetant præscripti limites. Pugna jam cessante Goliathi larvam exue, ac Jonathæ personam assume. Nunc iterum amicus esto; authentiam Vulgate per Decretum Conc. Trid. declaratam uno ore profiteamur. Pro coronide unum & ego monitum subiecto: si Tu, vel alias quicunque plura scire desideret quoad materiam ventilatam, loquere tantum, & audiet Servus tuus, loquere autem in lingua eruditorum scilicet latina; non vero vernacula; vide Dissert. sequentem. Loquere, sed aperta fronte, facie neutiquam larvata; loquere denique labiis puris, neutiquam calumniosis; fecus non respondebit Servus tuus; uti ex Responso ad supra citatos Anonymos colligere vales. Vive, vale.



## DISSERTATIO SECUNDA

Rectè, & providè per Regulam 4tam indicis Concilii Tridentini restricta est Facultas legendi  
sacra Biblia in Linguâ Vulgari.

**R**estam, ac utilitate uberrimam hac in Tridentini Constitutione Providentiam, Sapientissime Domine Promotor! vindicare jubes contrà incautos Criticos, quos novaturiendi Libido, & opinandi Philautia abripit. Mandatum tuum tam virili suscipio animo, quam reverenti exoscular. Hoc ad opus dum accingor non per Suarez, Duns Scoti, & Billiard authoritatem juraturus, sed Episcoporum Consilia, Pontificum, Conciliorum Decreta, Doctorum in Ecclesiâ, Patrumque Authoritatem amplexaturus, Novatorum contrà insolentiam justo Marte decertabo.

Cum verò isthæc te authore ad providæ & justæ Criticæ Lancem à me exigantur, ne adeò malevolus Novatorum more inferre ausim: ergò Scriptura solorum Latinorum Monopolium, sanius, more Majorum inferam, non esse Novitatum receptaculum, sed castæ & incorruptæ veritatis sacrarium, — cœlestem quoque parvulorum, sed sub Magistris, hæreditatem — fidele pupillorum, sed sub Tutoribus, Testamentum — Librum signatum contrà Curiositatis inutilis temeritatisque indaginem — apertum legitimè interpretantium, & piè legentium — sedulam & cautam Depositorum apud se Dogmatum Custodem.

Triplex

## Triplex exinde fluit Dissertationis meæ Partitio.

1<sup>mo</sup>: Lectio Scripturæ sacræ non est omnibus, ac proin nec in Lingua vulgari ad salutem necessaria contra Quesnellum ejusque affeclias.

2<sup>do</sup>: Dantur rationes justæ, & prudentes, cur Lectio Scripturæ sacræ non permittatur passim omnibus contra eundem & Novatores.

3<sup>ti</sup>: Regula 4<sup>ta</sup> indicis Lectionem sacræ Scripturæ non quidem absolutè prohibens, sed nonnisi sub certis conditionibus permittens est Lex legitimè lata, quā stante non est omnibus promiscuè licitum legere Scripturam in lingua vulgari. Contra eundem ac modernos nova docendi, & omnia reformandi pruritu occupatos sciolos.

Omnia pro omnium salute suaviter disponens Deus, vel omnibus omni tempore sufficienter providit, vel non providit in eo, quod parvulis declaratione sermonis sui non lectione detur sanus Scripturæ sensus, intellectus ac lumen, --- quod quanto tempore haeres parvulus -- sub Tutoribus Patris sit, ac porrò ab iis ei Patris hæreditas fideliter reservetur, -- quod parvulis annumeranda plebs indocta, prius lactetur, quam solidioribus cibis enutriatur, - quod infirmi in fide validâ expositione confortentur, -- quod panis spiritualis iis, qui pauperes spiritu sunt, & simul esfuentes, per fideles à Deo constitutos Dispensatores providè ac opportuno tempore distribuuntur, ne indigent ii, & simul habeant, quo verè satientur, quod palpanti in tenebris populo per eos, qui super Candelabrum positi, ut luceant, lux affundatur, non tenebris tenebræ addantur, ac demum populus Concionibus, Catechesibus, apostolicis institutionibus continuò elevetur, palcatur, nutriatur, confortetur conservetur. Si Primum.. ergo non omnibus indiscriminatim necessaria sacræ scripturæ Lectio. -- vel non abundè per hoc providit? cur ergo Apostolis, eorumque Successoribus prædicatio, non scriptio, auditus non lectio mandatur? Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. docentes eos servare omnia, quæcunque

- a) Matth. C. 28. v. 19. & 20. mandavi vobis? a) Cur singillatim b) scribatur? ergo Fides ex auditu, auditus ad Rom. tem per verbum Christi. Quis ignorare se simulet, quam speciosi pedes Evangelizantium pacem? Evangelizantium bona? c) Quis sciscitat? nunquid non audierunt?
- b) C. 10. v. 16. d) C. 10. v. 18.
- c) C. 10. v. 16. d) omnibus igitur, qui gentium simulacris nolunt assimilari: aures babent, & non audiunt. Manifestum erit Divinam providentiam pro cunctis gentibus in necessariis ad salutem rebus semper vigilasse, & vigilare adhuc, licet omnibus Scripturæ Lectio indiscriminatim non permitteretur.

ARGUM. 2dum. Scripturæ sacræ Lectio fuit omnibus, & est pluribus impossibilis, malignè igitur Quesnellus & Quesnelli affeclæ concludunt: ergo Lectio Scripturæ est pro omnibus; malignius statuant: utile & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni Personarum generi studere & cognoscere spiritum, Pietatem & Mysteria sacræ Scripturæ. -- Fuit impossibilis omnibus à mundi exordio usque ad tempora Mosis, qui initium scribendi Libros Divinos fecit. -- Fuit impossibilis gentibus præter Judæos reliquis usque ad tempora Ptolomæi, quibus versio Scripturæ græca prodiit. -- Fuit impossibilis ipsis etiam Judæis, tum ob exemplarium raritatem, tum ob linguae post Captivitatem Vulgaris differentiam ab idiomate sacro originario. -- Fuit impossibilis Christianæ Ecclesiæ, quæ primis temporibus aut caruit Evangelio, aut pluribus in Regionibus vernacula illius Verione. -- Fuit & est etiamnum impossibilis tum cæcis, tum legendi ignaris, tum Libros vel comparandi facultate, vel legendi otio, vel legendi copiæ destitutis. -- Impia igitur prosana, scandalosa à Clemente XI. sua in Constitutione: *Unigenitus*, confixa Quesnelli Dogmata.

ARGUM. 3tum. Nullum extat præceptum, nec adest naturæ debitum, nec urget observantia & usus; ergo passim omnibus promiscuè ad salutem non est necessaria sacræ Scripturæ lectio. -- 1. præceptum sive naturale, sive positivum legendæ Scripturæ necessitatem imponens, tam parùm à te & tuis affeclis affligari poterit, quam parùm viget obligatio aut traducendi scripturam, aut illam emendi vel habendi, vel literas discendi, hæc enim triplex obligatio ad illud quæcunque præceptum sequeretur. 2. debitum ex natura rei proveniens nullum esse tum probat ratio primò allata, tum Authoritas S. Augustini. e) Homo Christi itaque Fide, Spe & Charitate submixus, eaque inconcusse retinens non indiget Scripturas, nisi ad alios instruendos, quod luculentius, quod augustius ac contra Quesnelli vulpinam nequitiam accommodatus testimonium? 3. Usus denique nihil urgere demonstrat tum S. August. ibi pergens: itaque multi per bac tria in solitudine sine codicibus vivunt, tum Irenæus f) scribens: Quid autem, si neque Apostoli ref. C. 4. Scripturas quidem reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradidérant iis, quibus committebant Ecclesiæ? cui ordinationi assentient multæ gentes

- e) L. I. de Doctrinâ Christi C. 39. scrib. f) L. 3. Adv. hæref. C. 4.
- f) L. 3. Adv. hæref. C. 4.

*Barbarorum eorum, qui in Christum credunt sine charactere vel atramento scriptam habentes in cordibus suis per spiritum salutem & veterem traditionem custodientes.* Idem etiam obtinet in Regionibus Americanis, ubi fideles & Neophyti sancte vivunt, sine facta Bibliorum in idioma patrium versione. Etiam in plurimis Europæ Provinciis, Italiâ, maximè Hispaniâ & Germaniâ, quibus, quamvis Versiones Vulgares non desint, pluribus tamen eorum incolis, aut nullus, aut rarus usus est Lectionis Scripturæ; quin & Novatorum Lectio ad novum Testamentum vel unicè, vel præcipue refertur; non item ad vetus, quantum libet Veritates etiam divinas complectens.

ARGUM. i<sup>m</sup> partis 2dæ. Inutilitas, insolentia & periculum in usu rei sunt rationes justæ & prudentes, ne paucis omnibus permittatur rei usus; sed hæc tria per Lectionem scripturæ in lingua vulgari obviam occurunt, si promiscuè omnibus permittantur; pro diversis igitur personarum Circumstantiis, temporumque crisi non solum non damnosum esse, ut obtrudit Quesnellus, & malefana Novatorum libido, sed sanæ ac providæ Patrum oeconomiae ac cautelæ correspondens, aliquos quandoque à sacrae Scripturæ Lectione retrahere. 1. *Inutilis iis*, qui aut non perspiciunt sensum, aut distrahitur in sensu oppositos, aut nudo verborum Cortici adhærent, nucleo Mysterii aut Doctrinæ neglecto. Infelix nimium id comprobat eventus curiosis & arrogantibus simul in Fœminis, quæ vanâ gloriâ ebriæ præsumunt esse sacris in rebus arbitræ, utpote deceptu faciles ob inscitiam, pronæ ad alios deceptos putandos ob arrogantiam, prævalidæ ad seducendos etiam sapientes, prius in appetitu, dein in mente; id quod Divina affirmant Oracula: Sexus, qui apostatare facit Sapientes, pariterque in ipsius sapientiæ Divino Oraculo Salomone compertum est. Sexus est, qui trahit homines non eloquentiâ sermonis, sed oblectationis, ad unitatem carnis magis, quam spiritus privati. Idem in factum facile incidit verbosus Sophista, juvenili Philosophiæ, ac viribus ingenii nimis confidens Lector, qui Scripturarum arcana penetrare, & reconditos ibi thelauros detegere non novit; manet enim sua scripturis obcuritas, ut simul adoretur Majestas, manet earum Antilogia, ut captivati intellectus humilitas & in Christum obedientia necessariò commendetur; manet difficultas, ut rudiores erudientibus Doctoribus & Pastoribus eò faciliores aures accommodent; & quia hæc tria manent, simul patet, quam facile curiosa arrogantiâ Scripturæ sensus contorqueantur. 2. *Insolens*; si enim concedatur omnibus indiscriminatim, conceditur & profanantibus, nullâ id tamen alia viget in disciplinâ, & negatum adeo est hujusmodi ab ipsa gentilitate; ut testatur Hieronymus in Epist. ad Paulinum: quæ sunt Medicorum, promittunt Medici, tractant fabilia Fabri: SOLA, scripturarum ars, quam tibi omnes paucim vendicant, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc uniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. -- insolens eò magis, quo discendi perturbetur ordo divinitus præfixus pro fœminis. g) *Mulieres raseant in Eccl. g)* I. ad Cor. 12. clesis, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit, siquid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. -- Sic & h) mulier in silentio discat & 6. cum omni subjectione; docere autem mulieri non permitto. -- *Pro Rudibus 1)* & b) I. Tim. enim cum deberetis Magistri esse propter tempus, rursus indigetis, ut vos doceamini, que sint Elementa exordii Sermonum Dei, & facti estis, quibus lacte opus est, non solidi cibo. -- *Pro omnibus*: non per Lectionem, sed per doctrinæ auditionem. k) 2. II. ad Heb. 5. v. 12. Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est. Itaque discendi ordo turbaretur, cum paucim omnibus legendi scripturas privilegium concederetur, omnes pariter docere præsumerent, nullus discere, quid aliud nasceretur, quam perpetuae dissensiones, schismata, & hæreses ex velano illo docendi spiritu? non autem Deus dissensionis, sed pacis. 1) sed nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur? minimè; sed divisiones gratiarum sunt, unde mulierculæ, quæ multa garriunt de scripturis, & suam sententiam in controversiis Fidei interponere non erubescunt, stultissimè sibi arrogant, quod non habent; qua in re suam imitantur Evam, quæ in paradyso non potuit tacere, sed tacente viro cœpit disputare cum serpente, & quo statim vicit & decepta est. m) atque ipsa deinde virum suum decepit. n) Multæ hoc tempore adhuc supersunt ejus generis, & malignæ curiositatis Filiæ Evæ, quæ, dum sic deceptæ, non quiescunt, sed & multos Adamos serpentinâ quadam astutiâ decipiunt. 3. *Periculosa*: ibi periculum est præsens vel errandi in materia Fidei & morum, vel impugnandi veritatem & honestatem, vel contempnendi res sacras, aut ad profana convertendi, ubi ex parte legentium præter imperitiam occupat curiositas, temeritas, aut superbia; ex parte libri legendi autem præter ambiguam, figuratam, & peregrinæ grammaticæ propriam scriptionem argumentum habet, vel altissima Mysteria, vel recondita maximè vaticinia, vel principia & exempla, mala æque ac bona; sed si paucim omnibus permittatur scripturæ Lectio, habentur pleraque memorata tam ex parte legentium, quam illa omnia adiungunt ex parte legendorum Librorum, ergo non absit periculum,

ARGUM. 2dum Lectionis Scripturæ sacræ in Vulgari frequens fuit abusus, aut usus cum malo eventu, ergo Tridentino rationabile præbuit fundamentum, cur res ista, ex se licet bona, & alias utilis, saltem passim omnibus non permittatur. Sic ex Scriptura de serpente æneo, & ex Historia Ecclesiastica, aliisque ritibus olim familiaribus constat ob similem causam usum plane sufficere sublatis.

¶) Ep. 2.C. tum; patet & experientia primorum temporum, de qua S. Petrus o) in quibus 3. v. 16. Pauli Epistolis sunt quædam difficultia intellectu, quæ indocti græcè ~~auadus~~ indoctiles, qui nempe discere ab Ecclesia nolunt, & instabiles, qui Fidei firmitatem, non habent, depravant, id est: in sensus pravos & oppositos abstrahunt, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. -- tum sequentium, quibus Anthropomorphitarum, Millenariorum, Circumcellionum, Euchitarum, Sabellianorum, Arianorum, Macedonianorum, Nestorianorum hæreses ortæ sunt ex imperitia sensus, & literæ occidente, vel hauta ex obstinacia Voluntatis depravatione; tum posteriorum, quibus Albigenses, Waldenses, Beguardi, Wicclefistæ, Hussitæ, Lutherani, Sociniani, Calvinistæ, Baji, Quæsnelli, Jansenii, Kemnitii, aliquæ hujus sublesteæ indolis socii impellente spiritu privato, vel carnis, vel arrogantiæ in lectas & errores absurdissimos abierunt. Ex quo fluit assertum illud S. Hilarii p) ex scriptura non intellecta omnes hæreses propagatas esse.

¶) L. ult. de Synod. Hinc Ecclesia, ut Mater provida curat, ne passim sine discrimine à quovis quævis scriptura hodie legatur, probè gnara, scripturam male intellectam omnium pene hæresum Matrem esse. cum vix ulla orta fuerit, quæ non quæsiverit prælidium in scripturis, & in earum expositione non fuerit gloriata, pulchrè dicente S. Hieronymo: q) omnes hæreses de Scripturis sibi cervicalia conjueræ, lque ad Galat. ponunt sub cubitu universæ etatis; idque vel ipse Lutherus agnovit, dum scripturam librum hæreticorum appellavit, seu librum, quo abutuntur hæretici. Extat igitur rationabile Fundamentum, ne Lectio Scripturæ passim omnibus permitatur; est igitur Regula 4ta indicis Lex legitimè lata, quod in 3tia parte mihi probandum ulterius supereat.

*Pars 3tia Regula hæc à pluribus Pontificibus & Episcoporum Conciliis tum præformata, tum confirmata.*

- ¶) in Ep. ad Ducem Bohemorum. 1. Præformata. Nam Gregorius VII. r) rationem reddens, cur nollet divina officia slavonicè celebrari scribit: *ex hoc sæpe volventibus liquet non immitterit sacram Scripturam omnipotenti Deo placuisse, quibusdam locis esse occultam, ne si ad liquidum cunctis pateret, fortè vilesceret, & pateret despectui, aut pravè & pateret despectui, aut pravè intellecta à mediocribus in errorem induceret;*-- Innocentius III. s) datas quidem aliquas ejus partes minus difficiles iis legendas permittit; de aliis autem sic enuntiat: *Arcana Fidei Sacraenta non sunt passim omnibus exponenda, cum non possint passim ab omnibus intelligi; sed eis tantum, qui scripturam gal. ea fidi possint concipere intellectu, propter quod simplicioribus inquit Apostolus; quæ licet veri parvulis in Christo lac, potum dedi vobis, non escam, Majorum enim est solidus cibus; curaverunt sicut alii ipse dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos; inter vos autem nibil juventur dicavi me scire, nisi Iesum Christum & hunc Crucifixum, tanta est enim Scripturæ profunditas, ut non solum simplices & illiterati, sed etiam prudentes & docti non plenè sufficiant ad illius intelligentiam indagandam; propter quod dicit Scriptura, quia multi defecerunt scrutantes scrutinio. Unde rectè fuit olim in lege divinâ statutum, ne bestia, quæ montem tetigisset, lapidaretur, ne videlicet simplex aliquis & indoctus præsumat ad sublimitatem sacrae Scripturae pertingere.* Concilium Tolosanum t) præscribit: probibemus autem, ne Libros veteris Testamenti aut novi permittantur Laici babere, nisi forte Psalterium vel Breviarium pro divinis Officiis, aut Horas Beate Marie aliquis an. 1229 ex devotione, sed ne præmissos Libros babeant in vulgari translatos, arctissimè inhibetur celebratum mus. Oxoniense u) sic ait: statuimus & ordinamus, ut nemo deinceps aliquem textum Can. 14. sacrae Scripturæ autoritate suâ in linguam anglicam vel aliam transferat per viam Libri, u) an. 1408 Libelli aut Tractatus, nec legatur aliquis hujusmodi Liber libellus, aut Tractatus jam noviter tempore Joannis Wicleff, sive citrâ compositus, aut imposteriorum componendus in parte vel in toto publicè vel occultè sub majori Excommunicationis pœna. 2. Confirmata; hanc Regulam confirmarunt tum Summi Pontifices, Sixtus V. & Clemens VIII. additâ circa Regulam 4tam observatione & Succedentes ex ordine recudi augeriique jussérunt: tum frequentia in Italiâ, Belgio & Gallia Concilia, quorum specimen ex quâlibet regione unum subjicio. Mediolanense 3tium sub S. Carolo Borromæo an. 1577. sic habet: v) de Bibliis autem vulgariter redditis & de Testam. habitum. mento novo in vulgarem etiam Linguam converso.... ea diligens cautio adhibeat, ut T. it. 1. C. illius usus iis tantum concedatur, quibus Episcopus permittendum judicaverit; Camera 4. cense statuit: non permittantur curvis de populo Libri sacræ Scripturæ lingua vernacula, nisi de licentiâ Episcoporum aut Deputatorum ab eis. Narbonense w) decernit: w) an. 1609 Biblia verò sacra idiomate gallico conscripta legere aut domi retinere nemini licet, nisi celebratum ab Episcopo, aut ejus Vicario Generali in scriptis obtentâ Licentia. His accesserunt C. 9. Comitia Generalia Cleri Gallicani an. 1661. congregata, quorum jussu edita etiam hoc anno fuit collectio quorundam gravium authorum, qui ex professo vel

vel ex occasione sacræ Scripturæ aut divinorum officiorum in vulgarem linguam translationem damnarunt, unà cum Decretis Summi Pontificis & Cleri Gallicani, ejus Epistolis Sorbonæ Censuris, ac supremi Pariensis Senatus placitis.

Porrò circa Lectionem sacræ Scripturæ in Lingua vulgari passim, & sine discrimine omnibus permittendam datur Lex naturalis vetans, verbum Dei improbans & Authoritas Patrum adversans, ergo Æconomia Legis Ecclesiasticæ circa hanc certas conditiones præscribens est justa & legitima. 1.) *Vetans*, ne scilicet eam legat minus aut male dispositus, aut quilibet quam libet Scripturæ partem; ut iphi Quesnelliæ tribuunt. 2.) *Improbans* x) nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis Margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis. Et y) quidam volentes esse legi Doctores, non intelligentes, neque, quæ loquuntur, neque, de quibus affirmant. 3.) *Authoritas Patrum adversans* vel negantium necessariam Scripturæ Lectionem, quales sunt Tertul. L. 2. de præscriptione. C. 14. Clem. Alex. L. 3. Pædag. C. 11. Hieronymus L. 1. contra Pelagium. Aug. Ep. 102. ad Evodium, cum aliis Num. 60. laudatis vel notantium Lectionem minus convenire omnibus, quales sunt, Clem. Alex. L. 2. Strom. Brigen. Hom. 27. in Num. Basil. apud Theodoret. L. 4. Hist. Eccl. C. 17. Greg. Naz. Sermone 1. de Theolog. Hieron. in Com. ad C. 3. Nahum. Chrys. Hom. 16. ad Genes. Aug. L. de util. cred. C. 2. vel asserentium Lectionem quibusdam nocere; quales sunt Origen. in Prol. ad Cant. Basil. in Reg. Brev. C. 96. Ambr. C. 4. in Evang. Lucæ. Hieron. in Prol. ad Ezech. Augustin. L. 2. de doct. Christi C. 6. & 13. Greg. Magn. Præf. in Cant. vel exigentium singulares ad Lectionem conditiones, quales sunt Athan. L. de Incarn. circa finem, Chrys. ad C. 1. Math. Aug. contra Adamant. C. 3. & L. 1. cont. adver. leg. C. 13. Bernard. Serm. 1. in Cantica. Unum adducam Augustinum, quem Ep. 119. fateri non puduit: *in ipsis sacris Scripturis multò nescio plura, quam scio.*

x) Matth. 7.  
y. 6.  
y) 1. ad  
Tim. 1.  
y. 7.

Irrefragabilia hæc momenta, quibus insistimus more Majorum, aliter sentire, aliter docere, aliter tradere nemo præsumat, qui vel exigua sacræ Scripturæ factorum in Conciliis Decretorum, Sententiæ Patrum Pontificalium Constitutionum notione tinctus est, sic & quisque facile intelliget Sciolos modernos novæ nobis obtrudere, tum passim sine discrimine omniibus hominibus Scripturæ sacræ Lectionem in lingua vulgari commendent more reformatorum, qui? reformatorum? more Quesnelli, qui armis eorum suas sociavit Propositiones, quorum exempla videre licet in Calvini Commentariis ad Isa. C. 44. & Ep. 1. Petri; in Brentii Conf. Wittenberg. de S. Scriptura; in Kemnitii examine Conc. Trid. in Gomari, Chamierii aliorumque operibus. Ne verò videar victoriam ante triumphum cecinisse, aut prælium consummasse potius, quam inchoasse, Plurimum Reverende ac Eximie Domine Præses! Criticorum hujus temperis armaturæ munieris, adverfiorum clypeis, telis, vel ut certius dicam, spiculis me infestaturus.

## IMPUGNATIO.

Ceu triumphi certus, tam plenus animi, ad pugnam me provocas, Eximiande Domine! falleris, palma necdum tua est: certasti solus, hostis ego tuus adversum te jam jam progredior.

Argumenta, quibus sententiam tuam, quâ Legem Ecclesiæ, promiscuam sacræ Scripturæ in lingua vernacula lectionem prohibentis, mirum in modum extollis, firmatam satis, adeoque invictam putas, tria sunt: *Lex naturalis vetans*, *Verbum Dei improbans*, & *Auctoritas Patrum adversans*. Validissima hæc sunt, non diffiteor, munimenta: verum non tuam, sed tuæ è diametro oppositam sententiam tuentur.

Ecquam, rogo, dabis Legem naturalem, quæ filiis eripiat *Testamentum Patris*, ne legant voluntatem ejus? id cogitare vel barbarus nefas duceret. Num est, quæ parvulis esurientibus panem frangere, sitientibus potum porrigerere interdicat? non solo pane & aqua vivit homo; vivit maximè omni verbo, quod procedit de ore Dei, ubi verbum hoc vitam tribuens spiritualem, deprehendis? nunquid libri sacri sunt, qui illud suppeditant; & tu libros hos ipsos fidelibus esurientibus & sitientibus lege naturali occlusos esse oportere, contendis?... Peccatum intellectum nostrum obscuravit tenebris; in bivio, quid agendum sit, quid omitendum, an dextrorum, an sinistrorum eundum, non raro ancipites hæremus. cœcuentibus luce opus est, ut normam, viamque rectam liceat discernere. Verbum Dei scriptum *lux* est, tum dogmatis, tum exemplis illuminans oculos: tu eam vi legis naturalis abscondendam à palpitantium oculis, atque sub modo reponendam esse, acriter disputas? -- Ex Scriptura sacra hostes Fidei tela prouunt, queis Fidem convellant; tu accessum ad *armamentarium*, in quo mille Clypei & omnis *Armatura*, fidelibus prohibes, eosque nudos & inermes lacestitionum ludibrio relinquis?

Unum præcipue est, quod in sententia tua non paradoxum modo, verum à ratione alienum maxime mihi videtur; vel si velim, comprehendere, quid innuat, non queam. Legere scripturam cum vetas, addis: *in lingua vernacula*: vernacula, ut quæso, quid habet mali, ut eam tantopere averseris? Leges scribere peregrino idiomate, scilicet latino, mos erat ætatis barbaræ, ipse itidem barbarus; sed tolerandus ed facilius, quod ortum duceret à latinis, populorum, penes quos obtinuerat, tum dominis. Dogmata, quæ plebem instruant, leges, quæ regant, lingua scribere vernacula, nonne & ipsa rerum natura, & finis, quem tibi ponit Doctor & Legislator, jubent? Moses, Prophetæ, aliquæ Hagiographi lingua populis, quos inter degebant, familiari libros exararunt: sic exaratos legebat Rex, sic plebs legebat. Mos idem semper erat Patribus græcis & latinis; græci græce, & latini latine scriperunt, quem & Concilia tum græca, tum latina usque familiarem sibi habuerunt. Nihil profecto sequius: Verbum Divinum monopolium non est datum doctioribus; totum est omnium, totumque singulorum est.

*Verbum Dei* sacræ scripturæ Lectionem non modo non improbat, sed comprobat, maximeque commendat. *Deut. 17.* iubetur Rex, *Legem à Sacerdotibus acceptam legere omnibus diebus vitæ suæ*. Et scimus Reges fuisse, scientia, moribusque Ruiticis nostris simillimos; Saul boves ab aratre præ se agitans, speciali præcepto legendi tenet; cives nostri, quibus politiorem vitæ culturam certo non denegas, & ruitici non raro humaniorum literarum ac Philosophiæ Magistri promoti legem tum naturali, tum divina à lectione prohibeantur? -- Moyæ morti proximus Successori suo Josue præcipit, ut *verba legis coram omni Israël, tam viris, quam mulieribus, parvulis & advenis legeret*. *Deut. 31.* Si lex, ut est, legenda sit mulierculis & parvulis: cur & hi & illæ non, si legere sciant, legant ipsimet? -- *Josue 1.* *Non recedat volumen legis batus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus.* Dies noctesque meditari legem Spiritus S. præcipit: tu eam legere, piaculum arbitratris? - Num Christus Auctor legis novæ hoc legendi præceptum forte sustulit, aut restrinxit? potias Judeos ad S. Scripturam ceu controversiarum judicem remittit: *scrutamini Scripturas* *Joan. 5.* - Primis Ecclesiæ novæ temporibus, legendi consuetudinem aut restrictam, aut prohibitam non fuisse, luculentio Eunuchi Candacis Reginae Æthiopum exemplo convincimur. *Act. 8.* Hic alienigena currui infidens scrutatur Isaïam Prophetam, quæque scrutatur, se non intelligere profitetur. Tu si adiuisses, reprehendisses legentem, librosque sacros è manus abstulisses: at vero Apostolus nil increpat, nil arguit, sed ignoratum insinuit. -- Utilitatem sacræ lectionis Apostolas II. ad Tim. 3. aperte deprædicat: *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Videsis, quam verbum Dei tibi aduersetur.

Sanctorum Patrum testimonia, si foret otium, sexcenta adderem: sed S. Chrysostomus mihi sit unus instat omnium. *Homil. 9. in Epist. ad Coloss.* ait: *audite, obsecro, seculares omnes, comparate vobis Biblia, animæ pharmaca; si nihil aliud vultis, vel novum testamentum acquirite, Apostolorum Acta, Evangelia &c.* Quid quæso clarius, quid expressius dici in rem meam possit? -- Adeo toti retro antiquitatib[us] ignota lex erat aut prohibens, aut restringens sacrarum literarum lectionem.

Superest, ut, quæ disputasti copiosius, omnia fascem in unum collecta paucis refutem.

Minime necessariam esse, S. Scripturæ lectionem, inde infers, quod Ecclesia vetus, & Christiana, illa longo, hæc aliquo saltem tempore lege scripta carerint; & tum olim fuerint, tum etiamnum sint bene multi, legendi imperiti, aut intelligendi vi minime prædicti. Nihil profecto levius est, hoc argumentandi genere. Quid, si dicerem: Christiani in Regionibus remotissimis, quibus deficit occasio, Legem christianam perfectius addiscendi, satisfaciunt, si noverint scitu maxime necessaria; igitur, dum supervenit occasio, addiscere nihil ultra tenentur? Christiani utique est, satagere perfectionis usque majoris, quam assequendi efficacius medium non est, quam perfectior Legis intelligentia, quæ & audiendo & meditando legem facilime comparatur. Ad finem cum tenetur Christianus, cur medium præstantissimum impune contemnere liceat?

Necessitas scrutandi Scripturas non sit generalis; stringere tamen certe germanos videtur. His cum Protestantibus communis est Patria, leges, mores, domus, mensa, ac vita denique tota. Et quis nescit Protestantes totos in legendis ac meditandis libris divinis versari? An novi quid aut insoliti profero, si ex iis vel infimæ classis homines esse velim, qui comparata sibi ex lectione legis divinæ scientia Catholicos doctiores non raro pudore suffundant? minus peritis è nostris data occasione obtrudunt superstitiones turpissimas, Fideique nostræ cæcitatem; dicta mox magna textuum sacrorum copia confirmant. Qua ratione infidias effugiat rudis Catholicus, textus opponat textibus? sensum expo-

exponat genuinum ? avulsa , & alienam in mentem torta misere testimonia allata demonstret ? ast non legit , intelligere multo minus , non dicam exponere poterit.

Demus gratis , etiam Lectionem in universum necessariam non esse ; non tamen continuo sit inutilis : & tu noxiam clamitare non erubescis ? ad Consilia Evangelica amplectenda necessitate nemo adigitur ; sed insanus foret , qui praeceptum , ne quis illa amplectetur , ex eo vellet eruere . Multa sunt , adeoque innumera , quæ ad vitam verè christianam nemo afferit necessaria ; conducere tamen ad majorem vitæ perfectionem unanimi omnes ore profitentur.

Argumenta , quæ in rem tuam ex S. Literis ac Patribus magno numero concessisti , nihil evincunt , nisi & esse posse , & fuisse multos , qui verbo Dei lecto impiissime fuerunt abusi . -- ausim ego affirmare , mala omnia , quorum longissimam seriem proponis , non ex Lectione , sed ex cordis malitia , & ingenii pervicacia ortum ducere . Legat Catholicus aliquis Verbum Dei scriptum ; vel malâ , vel bona mente legit ? si malâ : jam Lectio malum non facit , sed malum esse , sine culpa sua relinquit . Si mente bona : nihil admodum reprehendo , quod periculi nomine veniat . Occurrant Mysteria , quæ vires intellectus superant ; quid tum ? hæc ipsa mysteria , dum audit , non intelligit , idemque , qui docet , comprehendendi non posse , palam profitetur . -- occurrant loca obscuriora , atque ad speciem sibi repugnantia : nunquid Catholicus est , qui ex Fide novit , non se , sed Ecclesiam solam legitimam esse controversiarum Judicem ? taleni Judicem si Ecclesiam non reveratur , vere Catholicus esse definit ; legat , non legat : verbo Dei audito æque , ac lecto in rem suam abutetur . Ipsissimus ille legendo facilius se convincet , sine Judice quodam controversiarum supremo male consultum esse Ecclesiæ œconomiae , cum eadem illæ difficultates , & apparentes antilogiae , ad quas hæret dubius , luculento ipsi argumento sint , Scripturam S. adeo claram non esse , ut interprete nullo indigeat .

Inter illos , quos à Lectione sacræ Scripturæ remotos cupis , bellum pecuniale movisti mulierculis . Tacent illæ utique in Ecclesia , cum inter Doctores Ecclesiæ legitimos locum habere nequeant ; sed per hoc minime probas , Lectionem ipfis prohibitam . Paulus Corintho Antiochiam iter faciens , amicam comitem Priscillam Epheli manere jussit , quæ paulo post facta ibidem est judæo Apollini Fidei Magistra . Magistrum Fidei cum fineret Apostolus , legentem forte reprehendisset ? - Mitius etiam , quam tu , cum sexu devoto egerunt Ss. Patres ; Gregorius Nazianzenus fororem , Basilius Eleutheram , Paulinus Celantiam , Hieronymus Marcellam , Paulam , Fabiolam , Lætam , Demetriadem , amicas ad Sacrarum Literarum Lectionem excitarunt , adeoque quotidianum iis Lectionis pensum proposuerunt .

Hæc sunt , Eximiande Domine ! quæ sententiæ à Te propugnatæ opponere statueram , solve , si potes : si solveris , victum me fatebor ultro , Laureamque Doctoralem tibi gratulabor .

## R E S P O N S I O .

F allar ? Eximie Domine ! -- minimè -- Tu mihi non sis adeò Hercules , qui mihi triumphum è manibus eripiet , enim verò arma , queis me lacefisis , tela , quæ in me evibras , fulmina , quæ jaçtas , scuta , quæ mihi opponis , in maligna Quesnelli officinâ fabricâsti , -- me non ferient ; hæc toties à Ss. Patribus , Conciliorum Decretis , toties repetitis è Vaticano missis fulminibus repercussa , debilitata , enervata , ac penitus conftracta sine vi & energiâ conciderunt . Videris , Eximie Domine ! me solùm impugnâsse , ut me tentares , me tentâsse , ut me scolorum in acie , media inter tela ignea legitimo prælio exerceres , me exercuisse , ut mihi Lauream non ingloriam , sed consummato priùs certamine gloriosem præparares . --- Non reformidans igitur elatum scolorum supercilium , tuam , seu potiùs Adversariorum frontem , aciem ac argumentorum omnium robur denuò experiar , agam , dimicabo viriliter , in Domino confortabor . -- Ad Evangelicorum Veritatum armamentarium me provocas , in quo mille clypei & armatura fortium , eadem , quæ hoc ex armamentario mutuas , tela , in te retorquebo , eodem , quo te protegi credis , scuto , me protegi -- protectum me invincibilem obistūpesces , iisdem , queis ex hoc uteris , armis , te , aut potiùs , Quesnelli in viciniâ morantes sciolos , quorum Galea indutus mihi insolentiùs insultare videris , intravadam , percutiam , conquaflabo . --- Ac

Imò quidem , ut mens Tridentini in Regulâ 4tâ indicis cunctis eò clariùs elucescat , tuam -- melius dixero -- verisipellem Quesnelli mentem accuratiùs in-dagabo , ac in lucem ponam , est certa pervertentium ars sub speciosa verborum Larvâ sanam fidelibus mentem abscondere , ut eò faciliùs perverso pervertendi intento satisfiat , agèsis igitur vel Tridentinum per Regulam 4tam indicis rite

dispositis usum Testamenti Patris cœlestis commendat, simul & malè dispositorum abusum perstringit, vel non: si primum, quid ergo in utroque mali, quid barbari, quod nefas deteges? nunquid expedit, quod quanto tempore bœres parvulus... sub Tutoribus, & auctoribus sit? Annon prudentium subin Tutorum tutelæ, ac œconomiae est correspondens testamenti Tabulas eripere è manibus pupillorum, quos iis abusuros certò prævident ac pertimescunt? -- Si non? Cave ne ex vesanâ judicandi præcipitantia Tridentinum rapinam fidelium in sensu Quesnelli commisisse, judices è manibus Christianorum ait: *novum Testamentum eripere aut ipsis occlusum tenere, cum medio, quo idem intelligere valeant, priventur, idem est,*

*b) Matth. ac Christi os ipsis obturare. a) Spiritus mendacii non veritatis est. Tridentinum 5. v. 2. non eripit, Testamenti tantum abusum vetat, verba luce clariora sunt Tantum Bullæ Uni- modum hunc verlionis vulgaris cujuscunque indiscriminatum posuit. Reg. 4ta genitus indicis Tridentinæ Synodi jussu, & Pii IV. p. m. approbatione editi, quæ ait;*  
*Prop. 84. cum experientio manifestum est, si sacra Biblia Vulgari Lingua passum sine discriminine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri &c. dum abutentium pupillorum è manibus eripit, non eripit, ut vult Quesnellus, sed assertat, donec ætate; ac intelligentia maturiores, Majorennes, id est: intelligere Testamentum, & eo bene uti valeant, idem occludit abutentibus, quod aperit bene utentibus, medio quod habent, eos non privat, sed ne abutantur eo, ac per parvulos, instabiles in fide S. Scripturæ sensus contorqueantur, non solum idem pro iis conservat, sed & novum suppeditat, i. e. sermonum declarationem, de-claratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. -- Itaque si sicutis verbis tuis, si Quesnello ejusque aieclis fides -- Testamentum Patris cœlestis imperitae pupillorum controversiae fine Tutorum, ac actorum custodiæ relinquuntur, fixa in eo a Patre cœlesti hæreditas filiis & filiabus prodigis, ac cœlestia illa bona dilapidantibus indiscriminatum concrederetur, furum, latronumque spoliis ac rapinis committeretur, daretur sanctum canibus, margaritæ ante porcos pro-jicerentur.*

2. Panem esurientibus parvulis frangendum, potum sitientibus porrigendum non interdicit Tridentinum, absit & à me interdicere. Hæc, qui Tridentino, aut præviae Dissertationi meæ affingit, dolos, ac technas meditatur, ac non nisi gravem fidilibus imposturam facere molitur, laqueus, quem mihi pro innata sciolorum astutia præsentas, mihi serviat, queis sciolli illaqueantur.

*Panis, de quo inter nos disceptatio est panis fortium, sed nunquid parvulorum vires imbecilliores sunt, quam ut frangere possint panem istum fortium, frangendus igitur est panis iste Ministerio Sacerdotum, qui in lectione parvulum inter & magnum discrimen non facit, invidet esurientibus parvulis panem, dum eis frangendi ministeriam dolose subtrahit. Sicut dicitur panis fortium, sic & dicitur cibus salutis. At non singuli cibi utiles sunt singulis, Medico spirituali hic opus est, nonne constat cibos quamvis de se optimos non esse cunctis corporibus salutares? nonne perspectum est exploratumque cibos validiores imbecillioribus præbitos scepissime cruditatem, sæpè mortem adserere.*

Videsis ac ad meliorem eruditionem perlegas historiam Concilii Tridentini à Pallavicino conscriptam, & ex urbana & ardente Pacecum inter & Madruciū litigatione Argumenti mei vim ac pondus colliges. Pro parvulis S. Paulus optimus fit Medicus, parvulis seu indoctis lacte magis opus est, quam solido

*b) 1. Cor. cibo Apost. teste b) tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, C. 3. nondum enim poteratis; quæ mihi sub leni & blandiente verborum esca proponis,*

*c) Matt. 4. ex illo Matth. 4. c) non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei. Mirum, quantum stomachum meum titillant, sed scolorum stomacho nauseam afferent. Christus enim hoc in loco noluit promiscuam sine temporum, ac personarum discrimine S. Scripturæ lectionem commendare, aut inducere (quod tua Thesis malè supponit) sed tantum eludere diabolum tentatorem ejus circa ipsam ipsum quæ Filii Divinitatem. Si Filius Dei es. Ita Diabolus eodem C. V., praecedente *Fac, ut lapides isti panes fiant.* subjungit Christus: *non in solo pane &c.* noveritis itaque Scoli, quod me tentetis non per spiritum Dei, sed tentatoris diaboli circa ipsum Verbum Dei, sicut ipse tentator Diabolus Christum circa Divinitatem.*

3. Peccatum intellectum nostrum obscuravit tenebris; vera dicis, sed falsa infers more Sophistarum, non prudentis Theologi, & Philosophi; sophisma, non tuum est, sed famosi Quesnelli & discolorum ejus sociorum. Saniori igitur, utar consequentia, & propriis te & tuos socios verbis jugulatum suspicies. Peccatum intellectum nostrum obscuravit tenebris; ergo plebs indocta, incerta, vagans, instabilis, imbecillis in fide, in tenebris circumerrans, nutans, ac vacillans non suo genio & arbitrio in sacræ Scripturæ Lectione relinquatur, ne sibi relicta, novis se tenebris involvat, expellantur tenebræ apta doctione eorum, de quibus Christus: *vos estis lux mundi.* Hac luce, non aliâ cœcutientibus opus est, discutiant Doctores, discutiant Pastores tenebras intellectum populi magis obscurantes, qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamentum, & qui ad justi-tiam

*Eiam erudiant multos, quasi Stellæ in perpetuas æternitates. Mens rudium prædicatio-* Dan. C. 12.  
*nūm imbre, non privatæ sacræ Scripturæ Lectione infundatur, ut sic & non* v. 3.  
*ziliter Fidei calor augeatur, sic illorum mens veluti perfusa terra ad fructum*  
*proficiet, cum lumen ætheris ignescit clarus in corde per sacræ eruditientis*  
*flammarum ardebunt, & ubiores bonorum operum fruges reddent, per eos po-*  
*pulo scientia cœlestis communicetur, per eos interni in ipsis luminis vernum*  
*tempus aperiatur -- in bivio quid agendum sit, quid omittendum, an dextrorum,*  
*an sinistrorum eundem sit, non raro anticipates haeremus: sed hic proprio tuo*  
*ex Parnasso lauream mihi demeto. In bivio &c. sequitur ergo populum indigere*  
*duce, sicut indigebat populus Israeliticus duce Mose in deserto, & tres Magi*  
*Orientales duce stellæ, ut invenirent JESUM. Duce indiget populus, duce, qui*  
*videt, qui oculorum perspicacia fatis instructus est, etenim, si cœcus cœco duca-*  
*tum præficit, nunquid ambo in foveam cadent, sed inquies: Scriptura sola Dux, Lux*  
*est, atque Lucerna: quam futile argumentatio? haec si valeret, ergo nullus haer-*  
*eticorum in foveam cecidit? eudem enim ducem se habere, eandem lucem ac*  
*lucernam jactitant Mahometani, Hussitæ, Zwingiani, Sociniani, Calvinistæ,*  
*Lutherani &c. haeretici omnes? si scriptura lux sola ac dux est, cur Dei popu-*  
*lus Mosen, non scripturam ipsam iu dubiis consulebat? cur Christi Discipuli eun-*  
*tes in Emmaus habentes etiam scripturam, nihil intellexerunt? cur ipsum ver-*  
*bum Dei eis manlit absconditum. Et ipsi nibil horum intellexerunt, & erat verbum* Luce 18.  
*istud absconditum ab iis & non intelligebant, quæ dicebantur ab eis. Cur eis Christus* v. 34.  
*scripturas interpretabatur? & incipiens à Mose & Prophetis interpretabatur illis in*  
*omnibus scripturis, quæ de ipso erant. Cur prævia interpretatione Christi? & non* Luc. C. 24.  
*prius sine illa solo ex scripturis hausto lumine: aperti sunt oculi corum, & cognoscen-* v. 27.  
*verunt eum? Cur non ad solam scripturæ Lectionem, sed prius ad Christi locu-*  
*sationem cor eorum coepit ardere? nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loque-*  
*retur in via, & aperiret nobis scripturas.* Eod. C.  
v. 32.

*Lux est scriptura; sed haec nocet oculis infirmis, ingenis stupidis, nisi debite declaretur. Lux est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mun-*  
*dum. Non modò dum legitur, sed etiam, dum ab idoneis Ecclesiæ ministris*  
*ratione dilucidâ, & ad singulorum intelligentiam accommodatissimâ exponitur,*  
*ac declaratur. Unde Psalmista: Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellec-* Psal. 118.  
*tuum dat parvulis, non dicit Psalmista, sermones tui illuminant, sed declaratio,* v. 130.  
*manifestatio, interpretatio eorundem haec intellectum dat parvulis, indoctis & sim-*  
*plicibus, luce alioquin in suam, aliorumque perniciem temerè abuturis.*

His adminiculis, hac luce divulgata fraus tua iterum -- Quesnelli potius detegitur, ac refellitur, dum statuit: Christianis Lectionem S. Scripturæ, præsertim Evangelii inhibere idem est, ac filis lucis usum lucis interdicere, & cauare, cur certum quoddam Excommunicationis genus patientur.

4. *Armamentarium* est, in quo ad fidei defensionem mille clypei & omnis armatura. In ultiū destinata non omnium, sed fortius, qui norunt iētus feliciter declinare, & multa prudentia in interitum inimicorum arma convertere.

5. Unum hoc auribus tuis, vel ut aca rem tangam, potius heri à proavo Quesnello prognati novi Critici auribus insolitum rationi ipsi naturæ & rerum fini à Legislatore intento diffonum -- temporibus Mosis Prophetarum, aliorumque hagiographorum, ætate Christi Apostolorum, ac primorum Patrum incognitum, à Græcorum & Latinorum coniunctudine alienum Conciliis inusitatum in Regula 4ta indicis deprehendis. Perpendamus singula, & larva novi in ultimo hoc saeculi quadrante renati Critici à facie decidet. Ac quisque colligit eum vel in scripturis tam veteris, quam novi Testamenti, in coniunctudine scriptorum, in Ss. Patribus in Conciliis aut parum aut nihil versatum, aut novo nova ingerenda studio, ac philautia abreptum esse. Ad illud Deuteronomium 17. provocor, ubi v. 18. præcipitur, ut Deuteronomium Legis à Sacerdotibus acceptum legat omnibus dicibus vita suæ. Eximum probationis, & subtilis sequelæ specimen! sed adesto Critice! responde sciscitanti mihi. Qualis erat, cui id præcipiebatur, persona? qualis præcipiendi modus? an plebeis indiscriminatum? hic haeres.. vel non nosti, vel nosti hunc fuisse regem cui id præcipiebatur. Si primum? juvenilem prodidit Quesnelli discipulum; cum hanc regi datam legem ad populum rudem indiscriminatum dirigis. Obstupefce Christiane orbis! quæ sequela à rege, qui velut sapientissimus totius populi suffragio ad regimen eligebatur ad omne genus personarum? an ex facto singulari & per omnia dissimili elici potest Conclusio generalis, & dogmatica? quin imò textus plurimum tibi & tuis sociis obest; si enim rex primum constitutus debuerit legis Exemplar à Sacerdotibus petere, sibique describere, quid evidenter, quam quod volumen Legis non fuerit in manibus omnium. En novum Mendacii genus. Legebant plebs. Velim indices mihi in pentateuchō locum, ubi scribitur populum ipsum manibus volvisse scripturas, & leguisse. O infidelem ac perfidiæ plenum scribam! sanè lingua tua non est calamus scribæ velociter scribentis. Ea, quæ scripisti, dictante Spiritu sancto non scrip-

isti

listi -- en sufficienter refutatum in hoc uno, quod cæteris de Regibus V. T. petulanter garris; quod attinet delicatores Philosophiae Magistros, Clientes spiritus, ut publicè se jactitant, fortiores, verò tamen & ipsis proprio titulo Magistros, gallicè: Petits-Maitres, moneo, ac iterum moneo hujus generis sciolis lectionem sacræ Scripturæ admodum periculosa esse, qui, politioribus licet literis exculti, profundiora tamen Theologiae arcana non penetrarunt, nec Religionis fundamenta ita callent, ut disputantibus de scripturæ sensu periculum non superfit, ne à callidis adversariis extra viam veritatis, quin advertant, abripiantur, qui demum in Certaminibus Theologicis nullo modo exercitati satis luminis non habent, ut possint acuta adversariorum sophismata detegere & eludere.

Dictum est olim sapienter à Quintiliano: *felices artes, si soli de iis artifices judicarent*, quantò magis id esset in rebus ad Religionem pertinentibus observandum? ubi errare nedum turpe, sed admodum noxiū est, qui plura circa hanc eruditorum classem avertit scire, relegant monitum Gazeigae publici in Universitate Vindebonensi Professoris tali classi perquam necessarium. Nec plus præsidii ex citato illo Deut. 31. v. 11. 12. & 13. sumos, ubi Moses cum sibi terminum vitae instare prospiceret, Successori suo Josue præcipit verba Legis coram omni Israël &c. legere, etenim longè aliud est verba legis populo prælegi à Doctore Maximo, qui, siquid minus clari, & perspicui occurrat, interpretari potest. Aliud est legi ab ipso privatim populo, & propria industria temerè interpretari. Viden' Sciole! nunquid, dixi? Heri ex Quæsnelli familia infeliciter nata es progenies. Aut Mosen & Josue, cæterosque nondum legisti, certo non examinasti, aut nova Iomnias, de quibus nec Moli, nec Josue, nec cæteris aliquid constabat. -- Sed pergis. Josue 1. v. 8. non recedat &c. fatemur id à Domino dictum esse Josue -- (non indoctæ plebi promiscuè ut mendaciter insers) quem loco Mosis constituit Ducem, & Doctorem totius populi Israël. Toties igitur noviter erras, quoties novos S. Scripturæ passus citas. Sed *nunquid omnes Doctores?* An ex Exemplo Josue ea necessitas, quam in Propos. 79. Quæsnellus adstruit? apage nugas. An nondum vietas porrigit manus? cur non ad Esdram confugis eodem modo, ut citatis in locis apparentes deteges passus. Sed pariter edoceberis, nec temporibus Esdræ S. Scripturam ab omni indiscriminatim populo lectam fuisse. Prout author Hexaplorum perperam ex II. Esd. g. V. & 3. concludit, liquidè constat ex ejusdem Lib. 8. v. 1. & seq. ubi in Libro legis non singuli de populo, sed solus *Esdras coram multitudine legis* narratur, ne autem populus audiens erraret; Lectioni à Sacerdotibus interpretatio addebatur; imò *Principes ipsi famiharum, Sacerdotes, & Levitæ* ut ibid. additur v. 13. *Congregati sunt ad Esdram scribam.* ut interpretaretur eis verba Legis, unde subruendæ Quæsnellianæ doctrinæ nihil adduci potuit opportunius, quam quod Author Hexaplorum temerè protulit ad ejus defensionem; -- Agēsis, iterum Quæsnelli confinia inter Dogmata hæres -- dum statuis: totum est omnium, totumque singulorum est, scilicet legere scripturas, id si inficias ire velis, pro innata tua subtilitate discriben velim mihi adsignes hanc tuam inter & Quæsnelli propositionem. *Scriptura est pro omnibus:* unum adhuc est, quod ex Mose adducendum esse necessarium duxi, postquam ergo Moses scripsit verba Legis hujus in volume, atque complevit, præcepit Levitis, qui portabant *Arcam Fæderis Domini* dicens: *tollite Librum istum, & ponite eum in latere arcae fæderis Domini Dei vestri.* Eodem Deut. v. 24. 25. & 26. Age denuò Sciole! si tam promptus ad respondendum, quam ad cavillandum. Num eam, quam in Regula 4ta indicis Trid. tantoperè extollebam œconomiam in tanta Mosis cautela præfiguratam non sentis? si Exemplaria S. Scripturæ in arca fœderis piè ac caute custodiebantur, quomodo verum, quomodo possibile est, ea populorum in manibus fuisse frequentia, quomodo lecta fuisse, dum non habuerunt, nunc habes stilum, normam ac consuetudines veteris Testamenti, igitur ad novum: sed tam parùm ex novo, quam ex veteri Testamento præsidii speres, tibi palam demonstrabo, dixit quidem Christus Joan. 5. v. 39. *scrutamini scripturas.* Sed nihil indè pro promiscua sacræ Scripturæ Lectione ad omne personarum genus illimitatè extendenda, etiamsi Salvator Matth. 11. v. 25. innuat, arcana sapientiae suæ revelata esse *parvulis;* etenim Christus Joan. 5. locutionem suam non ad omnes indiscriminatim homines direxit, sed ad solos incredulos, Judæos, Scribas, & *Mosaicæ* legis peritos, qui Christum tot miraculis manifestatum solebant credere *Messiam,* quos mittit ad Scripturas scrutandas, ut ex iis convincantur & discant, Prophetarum Oracula JESU Nazareno convenire, per parvulos verò Matth. 11. non indoctos, rusticos, levissimos, ac penitus ineptos intelligit, sed humiles spiritu, quales fuerunt Apostoli pauperes, pescatores, & à mundo despecti homines, quibus revelavit arcana sapientiae suæ, ut confunderet hujus saeculi sapientes, ut non glorietur omnis caro in conspectu Domini; -- patet igitur Critice! te aut nimium, aut parùm, aut nihil scripturas perscrutatum esse, & temerario ausu ab Apostolorum more recessisse. -- Quod de Eunicho affers, tuam labefactat, meam mirificè illustrat sententiam, Act. 8. v. 28. de *Eunicho Candacis Reginæ æthiopi*

æthiopo legimus, quod sedens super currum suum scrutatus fit Isaiam Prophetam; -- sed edic maleferiate Critice! qualis erat Eunuchus? an unus de plebe? -- minime, sed Princeps industrius, & sagacis ingenii super omnes Gazas, sive Thefauros Candacis Reginæ præpositus, Vir religiosus & minimè temerarius, qui relicta Aulâ & Æthiopiâ venerat adorare Dominum in Jerusalem; à cuius proinde exemplo ad cæteros omnes duci non potest paris rationis argumentum, quinimodo exemplum Eunuchi Doctrinæ Quesnelli fatale est, ac tuæ penitus repugnans, nam interrogante Philippo V. 3. putasse intelligere, quæ legis? respondit Eunuchus: quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi, quod S. Hieron. Epist. ac Paulin. ab Eunuco dictum suisse observat, ut intelligeres te in Scripturis sanctis sine prævio & nonfrante semitam non posse ingredi; forte, si tu tunc temporis adflusses, te Duce vel comite locum in curru occupâssent Sciolli, & sic te interprete Philippi auxilium superfluum. imò ridiculum ac insolens sūisset, .... porrò, quis modernos Sciolos pro inflatâ eorum arrogantiâ exemplo Philippi interrogare ausus sūisset? putásne, intelligis, quæ? non humili hi Eunuchi exemplo permoti: quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi, sed elata potius voce respondissent: omnia possum, et si non detur Philippus, aut aliquis, qui ostenderit mihi, -- pariformaliter Act. 13. V. 11. Beroenses laudantur, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent, sive an cum his convenienter, quæ à Paulo & Sylla prædicabantur, sed parem Laudem non merentur, Novatores, quotidie scrutantes scripturas: si hæc ita se habeant, quomodo à Concionatoribus annuntiantur, non poterant Beroenses initis Evangelii & Paulo novo Prædicatori novum Deum annuntianti prudenter credere, nisi re eximinatâ comperissent, hanc prædicationem consonam esse Verbo Dei & Oraculis Prophetarum, modò autem, postquam fides Evangelicæ sufficienter examinata & probata toto terrarum orbe tot sœcalis recepta est, ulteriori est opus examine, sed promptâ fide ad obsequendum iis, quæ ab Evangelii præconibus annuntiantur. Græci græcè, Latini latinè scriferunt, hæc, ut nequam profers, dato, non concessio, te vera scribere, scripta tamen non sunt ad omnes promiscuè fideles, nec à singulis indiscriminatum legenda, sed legenda à literatis & peritis, audienda ab illiteratis & imperitis, exemplarium solitudo aut saltem raritas prius faciebat impossibile, posterius difficile, dein manifestè falsum est Græcam linguam aut Hebræis, sive Palæstinæ incolis, sive per regiones alias dispersis aut Romanis, aliisque extra Græciam nationibus sūisse vulgarem, latinam plebi haud vulgarem apertè constat; -- Apostoli eti linguarum dono prædicti non tamen omnium gentium linguis, sed vel græcè, vel hebraicè, vel magis chaldaico-syriacè suas exarârunt Epistolas, sicut & Evangelistæ, eti Evangelium omni Creaturæ prædicandum esse scirent, non tamen, nisi græcè, sua conscriptsæ Evangelia excepto fors Matthæo, qui teste S. Hieron. in præfat. N. T. ius in Judeæ Evangelium Christi belvaicis literis edidit, igitur aut nimium, aut nihil probas. --- Secundum sapientissimos fines suos Deus tam in Lege veteri, quam in novâ hunc instituit ordinem, ut alii doceant, alii discant, hic regat, regatur ille, alter pascat, alter pascatur, illuminet alter, alter illuminetur; -- si ex hoc, quod Latinis idem declarandi ac explicandi Officium commissum sit, eruere coneris: ergo sacra Scriptura monopolium est datum Doctioribus: effræni eadem Licentiâ tuâ in arte criticâ Moses, Josue, Esdras, Prophetæ, Apostoli, Doctores unâ omnes fuerunt Monopolæ, cùm ad unum idemque cum Latinis officium à Domino vocati sint, atque congregati, absurdior adhuc foret consequentia, si Latini ac cum ipsis omnes ex hoc fuerint Monopolæ, ergo Deus est Monopolii author, inventor, & institutor; infandum nefas! exitialis Doctrina! -- cautius quæso imposterum mercare, rectius judica; -- imposterum christiano zelo eos impugnes, qui sine Licentiâ Dei; Mosis, Apostolorum ac Ss. Patrum, sed jure proprio & temerario novas & spurious ex scripturis dolosè venditatas merces curioso Sexui, incantæ plebi ac superbæ Philosophiæ veniales exponunt, qui non solum maligni monopolæ, sed ut turpes faeneratores, suis in fragmentis æs pro auro, argentum adulterinum pro genuino, Lapiðes vitreas pro pretiosis gemmis & margaritis venditare præsumunt, sic avidè ementes decipiunt, depravant, atque corruptunt. Sicut in allatis hucusque consequentiarum generibus fallax, captiosus ac deficiens eras, pariformiter in allato S. Pauli argumento aut amas pariter decipere, aut te decipi egregiè experieris. -- Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est. &c. ergo etiam promiscua sine omni personarum discrimine sacræ Scripturæ Lectio omnibus passim in lingua vulgari utilis est? minime id sequitur. S. Paulo hæc affingis, in toto citato Capite S. Pauli ad Timotheum ne vel minimum contortæ hujus illationis vestigium deprehendes. -- Omnes etiam cibi hominibus creati sunt, non tamen singuli omnibus. Affirmat idem S. Paulus parvulis i. e. indoctis lacte, non omnibus cibis solidioribus opus esse. Quid clarius? idem statuit pro iis, qui in Fide sunt instabiles: præcipue sit Fides ex auditu. Quid salubrius? & ex motivo, ne depraventur, quid cautius? Medicinæ aliis mortiferæ sunt, præfertim si imprudentium hominum dispositioni committantur. Hæc cape! porrò

tam parūm tibi favet inter alios Patres S. Chrysostomus, quām parūm tibi Paulus Apostolus, si ad scopum S. Chrysostomi uti & ad temporis, ac personarum circumstantias reflectas, non est, cur S. Patris præsidio tantopere glorieris. Agebat (non cum illiteratā plebe) sed cum nominibus doctis, ad lectionem idoneis, ludis verò Theatralibus, Spectaculis, nungisque hujusmodi admodum deditis rerūmque adeò sacrarum fastidientibus, hos vehementi exhortatione (eaque uti in concionibus solet) nonnunquam hyperbolicā flectere nititur in partem oppo-

**Hom. 15.** sitam, prout sat liquidò constat. Ex Hom. 3. de *Lazuro* ubi, si ejus verba *propriè* in gen. & accipiuntur; patet esse falsissima in tot simplicibus, & idiotis, qui literas nunquam didicerunt. Hanc autem locutionis figuram bene multis constat videtur innuere,

**Hom. 17. in Matth.** nullo in casu licitum esse jurare, quod alienum à vero est. Scopus igitur spectandus est, quem sibi in dicendo Patres præfixerunt, qui dum vitia infectantur, saepe per exaggerationem fortius declamant, quam eorum verba in grammaticalī rigore patientur; idque ab eis in Disputationibus contra hæreseos frequentius

**in l.1. Joan. lect.7. Bre-** practicari. S. Thomas, S. Bonav., aliique gravissimi Authores annotarunt.

**viloq. p. 3. c. 5.** Porro piissimis suspiriis optandum foret, ut salutares hæ aureo ex D. Chrysostomi ore adhortationes in perveræ, ac modernæ Philosophiae auribus undique intonarent, profanam novandi omnia, omniāque reformandi pruriginem arcerent, ac modum ponerent effrenatæ illi licentiæ, quā ipsam S. Scripturæ sanctitatem, exceptionibus, risibus, ludibrio cacchimis excipiunt. Ipsam adeo cum fabulis diabolicā nequitiā comparantes. -- Eos intelligo Pseudo - Philosophos, Juritas, aut Theologos ex Universitate aliquā jam reduces, qui cupiditatibus, ac vanis desideriis vieti, quod cupiunt, facile credunt, quod nolunt, inficiantur -- qui in spectaculis frequentes, in Ludis Theatralibus primi, in Voltairiis Comœdiis, ac delectum fascinatis opusculis toti, Rouffovii Philosophiae moralis tenacissimi, lepidis modernorum Scriptorum fabulis allecti nunquam Domini legem sanctam, aut raro ex merâ, & vesanâ cavillandi libidine scrutantur, qui scire omnia, reprehendere omnia, reformare omnia præsumunt eo tempore, quo adhuc imberbes sunt, & caput eorum adhuc vacuum, qui, dum aut unum aut alium Voltairii, Rouffovii, vel Baylii librum, aut fortè librorum Codicem legerent, aut venustos, jocosos, ad speciem pios, eruditos, ac speciosiores ex illis passus emendati sunt. ac memoriter didicerunt, se omni intelligentiā superiores, omnes examinare, discernere omnia, judicare ad rationis suæ Decempedam demetiri, ac ipsas S. Scripturas explodere se posse confidentius, ac arrogantiū arbitrentur, qui blandiori veneno inescatā ratiunculā contenti nihil in scripturis sibi inaccessum arbitrantur, omnia rimantur, etiam ea, quæ eorum intelligentiam excedunt, non subodorantes se pestilenti indifferentismi veneno sub subdolo verborum melle propinato facilè infectos iri, quod virus ex malè præsumpto pestiferos hos libros indiscriminatim legendi privilegio spargitur, incautos in animos serpit, ultrò latius ingravescit, ac penitus totos corripit; ii sunt, quos Divi Chrysostomi ore admonitos volo, ne malo per longas moras invalecente ferò nimis medicina paretur. -- Pestilentes hujus Generis Libros Vulcano tradite, si qui adhuc vestro in angulo lateant, -- comparete vobis Biblia sacra, sumite animæ Pharmaca, flores ne decerpatis, ubi blandientem sub floribus anguem latitare noveritis, cuius halitus animæ vestræ lethalis erit; mella ex talibus fragmentis non fugite, ubi venenum artificiosè permixtum animæ vestræ mortem præparat, S. Scripturas pervolvite. Ritè dispositi, usum laudo, increpo abusum; si verò circa Scripturæ sensum dubium ac ambiguum vobis occurrat, habetis Moses, adite viros & ætate & scientiâ senes, atque Religione firmatos, eos interrogante, eorūmque definitioni acquiescite. -- Vobis verò junioribus Philosophis, qui adhuc lactandi estis, optimè inserviat à Cl D. Conzen præfixus legendi modus, hunc legite, relegate, ac fidei corda retinete, quasi diluvio quodam ait: perversorum librorum inundatus hoc tempore orbis est; -- plus sanè nunc nocent libri religioni, & morum sanctitati, quam plures olim hæreses nocuerunt, Sæculo 4to grassante Arianorum perfidiâ totus ferè orbis ingemuit, & miratus est se esse Arianum, nunc verius esse lugubris experientia docet, spretâ omni S. Scripturæ autoritate, & sanctitate totum esse indifferentistam; -- vide igitur etiam atque etiam, quem legas, homo nove & in orbe literato peregrine. ---

**L. 4. C. 15.** A S. Chrysostomo ad reliquos Ss. Patres revertor: -- citavi tibi nubem testium, quorum argumentorum vim ut Infringeres, tota tibi æternitas non sufficeret, cur mihi unum eorum Chrysostomum opponis, quem tuæ sententiae prorsùs adversari luce meridianâ clarius est, cur alios non adducebas ex Ss. Patribus testes? fatere veritatem, nullum ex iis habebas sententiae tuæ Patronum, pro malis, sed ad sanctum illud officium non vocatis inter pocula curiosè disputantibus serviat illud Basil. apud Theodoretum ad Præfectum Culinæ Imperatoris ex Scriptura disputare volentem, tuum est, ait: *de pulmentis cogitare, non dogmata Fidei decoquere: observandum verò priscis temporibus quandoque corruptiliæ versiones vernaculae nondum natæ erant, nonnullos S. Patres & orthodoxos Antistites sacræ Scripturæ Lectionem fidelibus frequentius permisisse, præsertim dum vel aliqua necessitas vel utilitas hoc*

hoc videbatur exigere, idque eo securius, quia tunc passim major erat fidelium simplicitas, major in Fide constantia, minor in novitate propensio, minor de se ipsis præsumptio, & longè major erga Ecclesiæ Præpositos Reverentia ac submissio, quam temporibus Tridentini, ubi innumeræ ad speciem catholicae versiones per orbem dispergebantur, ac modernis temporibus, quibus malitia, superbia, temeritas ac innovandi purigo multum accreverunt, observantia vero erga Ecclesiæ moderatores, & Fidei sanctiores multum imminuta, ita, ut nil miri sit, quod & ea, quæ ad disciplinam pertinent, mutationi reddantur obnoxia, ex quo fluit conclusio tuum tuo in dileminate abstrusum sophisma explicans: vel bona vel malâ mente legit, idem est: vel adest debita ad legendum dispositio, vel non adest, si primum, non solum cum Tridentino permitto, sed potissimum commendo S. Scripturæ lectionem. Si secundum, adest periculum, ne dogmata Fidei decoquantur, arceatur igitur. --- Dein, vel in legente circa ipsa Fidei Mysteria adest prona in obsequium fidei obedientia, & cœca submissio, vel occupat curiosa de mysteriis scrutandi, ac secundum rationem, vel vires naturales ea demetiendo libido, .. si primum, iterum commendatur Lectio, ut augeatur fidelium pietas, si secundum, prohibetur, ut perversionis periculum non subintret.

Unde, si devotæ quædam animæ pio ardeant desiderio legendi sacras scripturas, hæ sancta sua desideria superioribus manifestent, quorum judicio, si sacra Lectio prodesse possit, ipsis facile permittetur; igitur pro diversitate personarum, temporum ac dispositionum Tridentinum approbat & improbat S. Scripturæ Lectionem; sic & laudati S. Patres cum laudato devoto fætu egerunt; laudatæ à Patribus fœminæ erant ingenio & genere nobilissimæ, eruditæ linguis, meditationibus assuetae, præterea humilitatis studiosæ, promptæque captivare intellectum in obsequium Fidei, & sequi directionem Magistrorum, quod ipsi Patres inter laudes earum commemorant; reliquæ saltem virgines erant separatæ à mundo, dicatæ Deo, studioque virtutum exercitatæ, neque triste adhuc fluxæ fidei, superbiæ, ac contumaciæ experimentum dederant; quid simili apud nos viro exemplo ordinaturi fuissent Patres, suspicari licet ex Hieronymo scribente: verum tu tantæ es liberalitatis, ut favorem tibi apud Amazones tuas concilies, ut in L. 1. cont. alio loco scripsieris, scientiam legis etiam fœminas babere debere, cum Apostolus doceat esse tacendum mulieribus in Ecclesia, & si quid ignorant, domi viros suos consulere. Pelaj. Caveant igitur novitatum Magistri, ne illam legendi licentiam ad omnes indiscriminatim fœminas extendant, ne nimium Amazonibus cum Pelagio blandiri videantur, ac cum eo Hieronymi correptione digni reputentur. Hinc parviter patet fraus, & illusio Quæfelli, quam dolosum ipsius ingenium propositio-ne 83. excogitavit ac intendit: est illusio, sic subdolè insert: si persuadere velis, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis Lectione sacrorum librorum; non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est scripturarum abusus & natæ sunt bæses. Quamvis fœminæ non primùm excogitent hærelin, eam tamen conceptam retinent pertinacius, studiosius adjuvant, cuius rei exempla refert Hier. in Ep. Clesiph. Sever. Sulpit. L. 2. hist. fac. Epi-phani. hær. 26. atque præter Thiotam Constantiæ A. 847 Mulieres manichæas Aureliæ, & Atrebati an. 1022, & 25. Tanchelini socias Antwerpiæ an. 1123. præsertim nupero sæculo Moniales portus regii, & aliæ in Gallia noxium experimentum præbuerunt. -- Demum cum in Mose, in Prophetis, in Christo, in Apostolis, S. Patribus, Concilio, ac in ipsa Ecclesiæ praxi nullum amplius sententiae præsidium habens cum ipsis errorum Magistris ad extremum recurris effugium, & in claris Scripturæ textibus puppim proramque doctrinæ tuæ cum Protestantibus constituis, verum.. dic! ubi scriptum est in scripturis solas scripturas sufficere? Cavetis, duces deseris, sovea patet; haec Protestantium opinio contradicit œconomia divinæ, & hierarchio ordini ... alii datur sermo sapientia,.. alii interpretatio scripturarum, non autem omnibus.. nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur? sed & nunquid spiritus privatus interpretando est omnium hæreticorum protoparens? nunquid privata ad libitum scripturas declarandi libido omnium errorum ac hæresum primaeva Mater est? nonne quisvis pseudo-propheta se habere spiritum Domini posset gloriari? nonne sic cum jactura unitatis perpetua Fidei gliscerent dissidia? nonne consuetudo, quam in Protestantibus temerari jactitas, origo & occasio est, cur parentes cum filiis, cum Magistris discipuli circumferantur omni vento doctrinæ perversæ? ... nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint; non omnes Timothei sunt, ut ab infanticia discant, non omnes habent instruentem Paulum.

Quod in Germania non adeo urgeatur Regulæ 4tæ observantia, provenit ex Superiorum non contradicentium taciturnitate, & ex mera connivenzia, eò quod Fideles cum Acatholicis permixtim habitent; quoad statutum sufficiat subnectere illud Benedicti XIV. p. M.: itaque, ut rem conficiamus, ubi nullus quoad vernaculae scripturarum Lectionem, abusus irrepsit, aut fileant Episcopi, aut solum 4tæ indicis Regulæ urgeant complementum, ubi vero abusus semel innotuit, etiam synodali decreto radicitus evellatur.

Ecce

Ecce E. D.! trinmphavit hodie Veritas, securis ad radicem posita est, ut quod centenis lucubrationibus à filiis tenebrarum plantatum fuerat in cordibus hominum, irreformabili ac perpetuā valitura Clementis XI. Constitutione excinderetur. Causa finita est, Error utinam finiatur. Vive, Vale.

## DISSERTATIO TERTIA.

### De Sanctorum Patrum in exponendis Scripturis Sacris Authoritate.

**A**dcuratiū sanè! agi à Te non potuit, neque prudentiū, Promotor Sapientissime! quām actum à Te est, dum vindicata Vulgatæ Authoritate, adsertoque de legendis Scripturis Decreto, mihi tandem Sanctionem Tridentinam, quæ contra unanimem Sanctorum veterum consensum sacras interpretari Paginas vetat, tuendi, propugnandique Provinciam demandasti: sic enim ordine perquām concinno patescit, & quid legendum, & quo legendum sit modo, ne in avia, aut devia deflectamus. Pro summa igitur, qua Sanctissimam Tridentinam Synodus amplector, Reverentia, proque eadem, qua Sanctos colo veteres, pietate, spartam hanc adsumo promptissime, & firmamentis stabilio inconcussis.

§. I. Sed ipsum Tridentinum textum recitare in antecellum juvat. Sic autem habet Sess. IV. *ad coercenda petulantia ingēnia decernit sancta Synodus, ut nemo prudentiae sue innexus, in rebus Fidei & morum, ad adificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram scripturam ad sensus suos contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctorum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat ... Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & penit à jure statutis puniantur. Hactenus Tridentinum ... Unde quivis cognoscit prorsus, nimium, inutilemque fore me, si quæstionis, ut ajunt, statum multis fixurus præambulis essem; ex verbis namque recitatis obvium cuique est intelligere, decreto Tridetino stringi eos, qui CONTRA UNANIMEM PATRUM CONSENSUM, & quidem IN REBUS FIDEI ET MORUM AD AEDIFICATIONEM DOCTRINÆ CHRISTIANÆ PERTINENTIUM sacram interpretari Scripturam præsumeret.*

§. II. Unum tamen præmittere operæ pretium erit, nimirum, quem significatum illa habeant verba: *contra unanimem Patrum consensum ... Tenendum autem est cum Vincentio Lirinensi, hac lege credendum esse Patribus, ut, quidquid VEL OMNES VEL PLURES uno, eodemque sensu MANIFESTE, FREQUENTER, PERSEVERANTER velut quodam consentiente sibi Magistrorum consilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint; id pro indubitato, certo, ratoque habeatur ... Ubi quidem recte sic distinguit Vincentius. Nam ut doctrina aliqua (ceu Cardinalis Peronius in sua ad Causabonum Epistola optime monet) à sanctis Patribus pro Catholica & orthodoxa universim tradita esse credatur. minime necesse est, eam in omnibus Patrum monumentis reperiri. Neque enim omnes scripsere de omnibus, nec omnia ad nos eorum scripta pervenire. Doctrinæ alicujus pro Catholica habendæ id erit certissimum indicium, cum regionis cuiusque clarissimi Patres ad confirmandam eam consentiunt ... Sic B. Augustinus adversus Pelagianos undecim, Synodus autem Ephesina adversus Nestorium decem Patribus, iisque illustribus, in doctrinam unam conspirantibus in medium adductis, universæ Ecclesiæ consensum se se repræsentare judicavit ... Quibus sic positis ad rem ipsam progredior.*

§. III. Ac primo quidem illud sumo, quod ex argumenti hactenus pertractati serie, rationeque constat, causam mihi non cum aliis modo, quam cum iis tentandam hominibus esse, qui, Catholici cum sint, Ecclesiam docentem, in Fidei morumque doctrina falli nesciam esse, ultro concedunt, Quæro autem, id qua fieri, propugnarique ratione possit, si unanimem Sanctorum Veterum in exponendis scripturis consensum, Regulam esse fidei ab omni periculo erroris immunem, negemus.

§. IV. Certè repulsa semel Sanctorum oranium Fide magna ex parte Christi & Apostolorum repellentur Traditiones. Neque alia enim via, nisi per sanctos Patres, Doctoresque, qui singulis floruere saeculis, novit Ecclesia, quid Christus Apostolique tradiderint. *Hæc igitur duo (verba sunt Melchioris Cani L. 7. Cap. 3.) ita sunt connexa atque conjuncta, ut divelli ac dissociari non possint, doctrina sanctorum Patrum, & Ecclesiæ traditio: quisquis unum istorum tentavit labefactare, alterius queque fidem concuriat, necesse est. Enimvero, ut idem Canus docet, cum five Concionatores, five Scriptores omnes, qui Sanctis antiquis successerent,*

sere, sacrae scripturæ sensum populo tradiderint, juxta doctrinam à Sanctis acceptam, populus autem fidenter sensum illum acceperit, nimirum, qui concordem Sanctorum Veterum expositionem rejicit, intelligentiam, quam, hactenus Ecclesia habuit, rejicere convincitur.

§. V. Igitur erroris maximi momenti in re non potest non argui, qui sententiæ, quam concors Patrum doctrina, tanquam divinam in sacris comprehensam literis tradidit semper, constanterque sumpsit, adversatur. Etenim percontari liceat, quid tandem illud sit, quo, cum peccatur, in fidem ipsam peccare homo ceusendus sit? ... Crediderim tum quidem certe, cum revelatum à Deo esse id negat, quod tamen evidenter revelationis divinæ sigilla habet. Hæc autem sigilla, quænam sunt?.. Juvabit rem hanc ex Pallavicino obvio, accommodo tamen exemplo illustrare.

§. VI. Rex, si falsum pronuntiaret, in Regiam delinqueret Veracitatem. Rex si à suis administris, suo nomine, litteris publicis, regio sigillo munitis, promuntiari ea permetteret, quæ ipse pronuntiare non cogitat, in regiam pariter Veracitatem offenderet: utroque enim eventu jus esset conqueri subditis, deceptos à Rege se esse; cum ipius permisus in eas rerum conjecti essent conditions, ut si litteris illis fidem negarent, & contumaces, & injuriosi in Regem habarentur ... Prorsus ita se res haberet, si concors Patrum sententia falsam nobis Scripturæ obtruderet interpretationem. Etenim non permetteret solum Deus, sicut Rex; sed totam hanc veri speciem, quæ ad credendum, sic esse se locutum, induceret, adjuvaret: cum jubeat, docentem audire Ecclesiam; hæc autem non doceat aliter, quædam Patres omnes vel plures uno eodemque sensu manifeste, frequenter, perseveranter docuerunt ... Quo autem paço (sunt verba Pallavicini) Deus eiusmodi fraudationem à se nobis illatam excusaret, si in rebus ad Fidem, moresque pertinenteribus ita fuisse locutus, ut cuncti Sacri Doctores, adeo numero spectabiles, -- scientia præcelentes, studio accurati, eorum verborum sententiam à veritate alienam intellexissent? Quis hominum vulgaris ingenii, natus scripturæ locum, significationem bujusmodi præ se ferentem, simulque cognoscens, eandem significationem tanquam dogma fidei à cunctis Ecclesiæ Doctoribus comprobari, non se putabit, illius ita credendæ obligatione teneri?

§. VII. Sed ad Synodum ipsam, cuius imperata mihi commendatio est, revertamur ... Ac volo illud ante omnia observari, tñnerique animis, quod Pallavicinus monet, nequaquam propositum Patribus fuisse, ut nova nos lege coartarent, sed ut docerent solum, atque in memoriam revocarent legem antiquorem, quam ea in re suapte natura fides imposuit; id quod ex ipso textu Tridentino palam est. Etenim quem in finem his utitur verbis sanctissima Synodus: Et pénis à iure statutis puniantur? Certè liquido inde conficitur, id ipsum prius etiam à sacris interdictum Constitutionibus, pénisque multatum; adeoque novam à Concilio legem minimè statui, sed addi stimulos, ad veterem observandam.

§. VIII. Et vero est ea tam claris, tam insignibas monumentis antiquitatis consignata, contestataque res, ut plane nesciam, quid desiderari hoc in genere demonstrationis ab viro catholico possit. Quis quæsto Patrum, quis interpretum scripturæ unquam fuit, qui pro indubitate sibi non eam fixerit regulam, quam ex Vincentio audivimus, quamque is velut ex omnium haustam ore posteritati transcripsit? Quis Religioni sibi nonduxit, ab recepta hac norma, si vel latum unguem discederet? Quid frequentius in omnium scriptis, si quando contra opiniones novas, atque insolitas pugnant, quæ illud tritum, ac promulgatum, Divinarum scripturarum intelligentiam non ex præsumptione propria, sed ex Majorum scriptis, autoritateque esse desumendam, quippe quos & ipsos ex successione Apostolica intelligentiae suscepisse regulam constaret.

§. IX. Sed malim ex Conciliis ipsis, dum pro sanctione Concilii ago, causam confidere ... Ordior autem à Lateranensi V., quod Tridentino citimum fuit, celebratumque sub Julio II. & Leone X. anno 1512. Et licet Theologi juxta ac Canonistæ se inter disceptent; œcumenicum nec ne: in hoc tamen admissum est ab omnibus, quando inculcat, qua ratione explanari sacras paginas oporteat ... Atqui *Actione secunda* præcipit omnibus, qui Evangelicam sunt populo tradituri veritatem, ut sanctam Scripturam juxta interpretationem Doctorum, quos Ecclesia vel usus diuturnus adprobavit, explanent; nec quicquam eis proprio sensu contrarium, aut dissidium adjiciant: sed iis semper insistant, quæ à præfatorum Doctorum interpretationibus non discordant. En! quæ Tridentinum ante se vestigia legerit.

§. X. Concilium Lateranense præcesserat Synodus Florentiæ habita, anno 1439. ad tollendum schisma, quod latinos inter & græcos servescerat. Hac in Synodo acerrimè ac subtilissimè est disputatum de processione Spiritus sancti à Patre Filioque. Et insipienti acta historica patebit, tam græcos, quæ latinos intendunt.

dem provocasse ad Patres: cum enim græci scripturæ verba sic explicarent, ut Spiritam sanctum à Filio non procedere docerent, latini statim ad Patrum provocabant Doctrinam, ostendebantque, verba Joannis 15. sic explanari ab omnibus tam græcis, quam latinis Patribus, ut processionem Spiritus sancti à *Patre*, *ET A FILIO* adsererent. Notius est, quam ut ego hic adferam, quanta contentione locus Basilii in tertio contra Eunomium libro sit agitatus, quod mira in litteris lectionis estet varietas... Quis hic non aperte videat, Patribus Florentiis, imo ipsis græcis schismaticis nihil tam fuisse persuasum, quam in concordem Patrum consensum, tanquam infallibilem Fidei regulam intueri omnes oportere.

§. XI. Florentino præleverat Vienense, anno 1311. præsidente Clemente V. celebratum. Hoc autem in eundem prorsus modum declaravit: cum enim de intelligentia illius Joannis: *Ad Iesum autem cum venissent, quæstio esset inter fideles exorta, relataque ad Concilium, ita loquitur Pontifex: Nos ... AD SANCTORUM PATRUM ET DOCTORUM COMMUNEM SENTENTIAM Apostolice Considerationis aciem convertentes, sacro adprobante Concilio declaramus Clementi. de summ. Trinit. Vienense ergo Concilium, cum de sacrarum litterarum pronuntiare intelligentia vellet, sanctos Patres quasi duces intelligentiae sequitur.*

§. XII. Ad Synodum generalem VII. progredior. Convocata est hæc Synodus anno 787. contra Iconoclastas. Sic autem Basilius Ancyraeus *actione prima* inter alia pronuntiat: *His, qui spernunt MAGISTERIA SANCTORUM PATRUM, & Traditionem Ecclesiæ Catholicæ, prætendentes & adsumentes voces Arii, Nestorii, Eutychetis, & Diocorii, & perhibentes, quod nisi de veteri & novo Testamento fuerimus edocti, non SEQUEMUR DOCTRINAS SANCTORUM PATRUM, neque sanctorum Synodorum, atque Traditionem catholicæ Ecclesiæ, anathema.* Quam professionem collaudavit, firmavitque sancta Synodus. Dein *actione quinta*, cum usus imaginum erat adserendus, damnandique Iconoclastæ, recitata sunt plura Patrum monumenta; quibus auditis sic dixit Tarafius: *jam satiati sumus EX PATERNIS TESTIMONIIS, & cognovimus, quia præsca traditio est, Venerabilium imaginum erectio. Seclatores igitur sumus SANCTORUM PATRUM. Synodus dixit: seclatore, & concordes ... Vel me non monente advertit quisvis, Patres hujus Synodi, qui, ut ex actis constat, etiam eos sibi habebant consentientes, quos suum in patrocinium adducebant Iconoclastæ, inde fidei regulam desumpsite.*

§. XIII. Quid autem Generalis VI. contra Monothelitas anno 680. celebrata Synodus? ... Passim nota est ea hærelis, quæ saeculo VII. per schismata triennale Christi vexavit Ecclesiam, quæque tandem in sexta hac Generali Synodo, Cptana tertia fuit jugulata... Ad huncce conventum accedamus proprius, atque oculis iustremus, qua ratione in definiendo dogmate Patres incedant... *Actione* hujus Concilii *quarta* jubet Imperator, *Agatbomis Papæ, Synodique Romanae recitari Epistolæ.* Duplicet id Macario Antiocheno; utque vim harum infringat epistolarum, mentitur ille, *Scripta sanctorum Patrum litteris hisce repugnare prorsus.* Igitur actione V. VI. & VII. proseruntur *sanctorum Patrum Codices* tūm à Macario, tūm à Pontificis summi Legatis: & utrimque lecti iussu Imperatoris (ut omnis commitendi frades præcludatur via) obsignantur. Rogantur interea Georgius Cptanus, & Macarius Antiochenus, num ea, quæ Epistolæ Synodi Romanae & Agathonis Papæ haberent, admitterent? Et enī responsum eorum! *Petimus nobis dari exemplar barum relationum; legentes enim ET CONFERENTES QUÆ IBI SUNT PATRUM SENTENTIAS, alia die responsum dabimus.* Atqui hic videoas, vel ipsos devios, de Fide cum agitur, communem Sanctorum veterum sensum ceu Thehei filum tenere. Sed intro adhuc magis.

§. XIV. Induciis per medium vix non annum concessis Cptanus renovatur consilus; & statim postulat Imperator, *sanctorum veterum sententias* circa Concilii Romani & Agathonis Papæ Epistolæ recitari. Recitantur: & sic tandem Georgius Cptanus cum suis falsis est ingenuè, hasce Epistolæ prorsus esse conformes scriptis sanctorum Patrum, quæ in Archivio Cptano adservarentur, adeoque *ita credere se se, atque confiteri.* In Macario autem detectum est, in allato à se Patrum Codice multa truncata, multa omissa, multa interpolata. Hinc Synodus dixit: *non convenit orthodoxis, SIC CIRCUMCISAS EXPONERE VOCES SANCTORUM PATRUM. HOC EST PROPRIUM HÆRETICORUM.* Cumque dein Macarius Synodo adquiescere, atque juxta genuina sanctorum Patrum dicta sentire nolle, in hæc erupit verba Concilium: *Macarius se ipsum ostendit hæreticum: novo Diocoro anathema, deponatur, exuatur, quo amictus est Pallio.* Et revera *aetio-*ne X. damnatus, depositusque est Macarius... En! quanta reverentia Synodus cœcumenica à Spiritu Sancto directa, adsurgat unanimi Sanctorum Veterum Consensi?

§. XV. Rem persequor... Concilium Generale VI. præcesserat Synodus Romana, in laterano à S. Martino ratione *Typi Constantis* habita, & subin à Concilio Cptano III. confirmata. Hac in Synodo *Secretario V. Martinus Papa* edicit,

*Patrum*

*Patrum sacros Codices deduci præcipimus... Quem in finem?... Ut ex iis, tanquam fidei depositariis catholica de duplice in Christo operatione deprimatur doctrina. Prælecta etiam sunt ab Exuperio Notario sanctorum Patrum scripta, velut Basilii, Augustini, Leonis, Athanasii, aliorumque Patrum eandem doctrinam adserentium Commentarii. Quibus omnibus perlectis atque inter se comparatis fertur sententia, qua Monothelitæ tanquam hæretici, hoc est, doctrinæ divinitus revelatae, & per Patres sanctos enuntiatæ contradicentes damnantur..., En! Ecclesia tanquam hæreticos declarat eos, qui doctrinas, Patrum doctrinæ adversas proferre audent.*

§. XVI. Ad Synodum Generalem V. devenio. Est hæc Cptana II. in causa trium famosorum Capitulorum anno 553. coacta... collatione autem sexta lecti sunt Patres, qui olim plura, ceu universali de Incarnatione divina, doctrinæ repugnantia in scriptis Theodori consignaverant. Atque his omnibus perlectis & auditis Synodus judicavit, Theodorum, licet mortuum, tanquam hæreticum damnandum esse. Quare?... *Quod contra PATRUM INTERPRETATIONEM, fidem, scripturamque interpretari non dubitasset.*

§. XVII. In Concilio Calcedonensi, Oecumenico quarto, anno 451. habito eadem sciscendi, decernendique adhibita ratio fuit. Leo Papa suos illuc legatos miserat, cum Epistola dogmatica, in qua Catholicam de divina Incarnatione doctrinam ex Scriptura sacra juxta sensum sanctorum Patrum luculentissime explanarat. Lecta fuit hæc Epistola in Concilio, cum adjunctis Patrum textibus, atque dictis sanctorum Veterum declarata conformis: sic enim clamant orthodoxi Patres: *Hæc est fides Patrum: ita credimus omnes: anathema, qui ita non credit* Juxta Calcedonense igitur Concilium qui aliter credit, ac Patres tradunt, reus hærefoes damnatur.

§. XVIII. Inspiciamus Concilium Ephesinum, oecumenicum III. anno 431. contra Nestorium celebratum, & lustremus, qua via contra Nestorium incedant hujus Synodi Patres. Adseruerat Hæresiarcha, Scripturas sacras pervertens, duplum in Christo Personam negaratque, B. V. Mariam esse Deiparam: jam ecce! hanc contra doctrinam ipsa Ephesini Concilii verba: *invecti sumus in Nestorii sceleratam præsumptionem, quod sacram Scripturam se primum & solum intelligere, & omnes eos ignorasse jactaret, quicunque ante se Magisterii munere prædicti divina eloquia tractassent, & præterea universam Ecclesiam errasse, quæ ex illius sententia Doctores ignorantes sequebatur.* Igitur juxta Concilii Ephesini mentem ipsa errat Ecclesia, si Patres, quos in expositione fidei, Scripturæque sequitur, à vero aberrant. Hoc autem absurdum quis Catholicorum admittet?... Atque hoc perspectum habebat plane Joannes Antiochenus, Nestorio amicissimus: sic enim ad eum scribit: *si mens tua eundem sensum tenet, QUEM PATRES ET ECCLESIAE DOCTORES; quid contristat pium sensum congruo nomine publicare?* Ex Joanne ergo Antiocheno sensus Patrum sensus est Ecclesiæ.

§. XIX. Ephesinum antecessit Cptana I. Synodus oecumenica II. anno 381. habita... Arianis ejectis novæ in Ecclesia turbæ oriuntur: Macedoniani namque insurgunt, aliæque jam damnatae repullulant hæreses. Igitur Cptana celebratur Synodus, & eandem definiendi regulam sequuntur hujus Synodi Patres. Teste Nicephoro Lib. XII. Cap. XV. suus est Silinius, ut dissidentes à Concilii Patribus interrogentur, *num eos sanctorum Oraculorum interpres, qui prius extiterint, quam dissensio in Ecclesia orta sit, admitterent. Si idoneos eos ad declarationem, seu decisionem controversiarum putarent, statim illorum libros in medium proferri debere.* Igitur Patres tentant cognoscere, quid evocati de Veterum Scriptis sentiant: Et revera hi clamore & admiratione suam ergo illos (Patres) affectionem & pietatem indicant. Quare contra eos pronuntiatur aperte: *si testes illi (Patres) dogmatis idonei Vobis essent, facile eos quæstionem rei cujuslibet decisuros, si ipsi (evocati) in eo adquiescerent, quod ILLI de controversiis ejusmodi & senserint, & dixerint.* Niceph. l.c.

§. XX. Quid tandem Nicænum primum anno 325. contra blasphemum Arii dogma habitum?... Athanasius, qui Nicæno interfuit, & omnium fere rerum in eo gestarum Princeps, in sua ad Afros Epistola sic testatur: *Itaque illi (Ariani) verbis non ex Scriptura quidem petitis, sed pie tamen inventis convicti sunt, & condemnati... Episcopi autem non ipsi sibi verba confingentes, SED PATRUM DE EIS TESTIMONIA HABENTES, ea in Scripto suo usurparunt.* Niceph. L. 8. Cap. 22. Quare idem Athanasius Arianos in libro de decretis Synodi Nicænae aliquoqens sic concludit: *Ecce nos demonstramus istiusmodi sententiam (de divinitate verbi) à PATRIBUS AD PATRES QUASI PER MANUS TRADITAM ESSE. Vos autem, o novi Judæi, & Discipuli Caipæ! quos demum ASSERTIONUM VESTRARUM PATRES ostendere valetis? imo ne unum quidem ex prudenteribus & cordatis nominare potestis; cuncti enim vos aversantur, præter unum Diabolum, qui solus bujus defectionis vobis auctor fuit...* Atque hæc ex Conciliis oecumenicis. Eandem autem legisse semitam Synodos particulares, quæ ante Nicænum hinc inde ad damnandas convenire hæreses, ex monumentis Ecclesiæ sticis passim obvium est.

§. XXI. Igitur ex Conciliis oecumenicis, testibus nemini suspectis confeci, concordem Patrum in fidei, Scripturæque expositione consensum regulam esse ab omni erroris periculo immunem. Quod & hominis ab communione Catholica vox alieni paucissimis adhuc ostendat... Is est Beza, qui, Petavio teste, in opusculo quodam: *de Unitate divinae Essentiæ* ea dicit, quibus suam, hoc est, Calvini causam labefactat, Catholicamque mirum in modum confirmat. Cum enim Augustini verbis verum Ecclesiæ dogma comprobasset, *quis sano*, inquit, *homini persuaserit aliter docuisse Augustinum de Trinitate, quam Africanas Ecclesias, & istas rursum aliter, quam Catholicus consensus ferret, sensisse.* Praeclarè hoc quidem ut idem Petavius advertit, ac verissime: sed quo semel constituto tota iistorum haeresis jacet, quæ adversus Romauæ Professionis antiquam, testatamque fidem, sola se scripti Verbi cavillatione defendit. Quare sapientissime juxta ac saluberrime (ut ad Tridentinam tandem Synodus iterum redeam) Patres Tridentini sanxere, ne quis contra unanimem sanctorum Patrum consensum Scripturas sacras explaret: *nam quidquid creditur contra sanctos Patres*, ait Synodus Tolestanæ XV., *intelligitur aberrare à recta regula fidei.*

Et nunc Te, Eximie, Eruditissimeque Æmule! in aciem contra me descendenter expecto. Sane pro singulari tua, quam in Te veneror, eruditione profer, quidquid in partem adversam facit. Quod dum ages, occasionem dabis, veritati hactenus à me adseritæ novam lucem, novaque firmamenta conciliandi.

### I M P U G N A T I O.

**S**cripturas sacras juxta unanimem Patrum consensum explanandas esse tam solidè tamque dilucidè demonstrasti, Laureæ Doctoralis Candidate! ut nihil in contrarium, quod vel umbram veritatis attingat, afferri valeat, quapropter de reportandæ victoriæ desperatione gaudens ac in Domino glorians, lubens libensque postulationi tuæ obsecundabo; ut argumentorum solutione eruditissima, gloriofior tibi sanctisque Patribus sit de adversariis triumphus, ac Magistralis Laureæ consecutio sit honorabilior.

Quoad Concilia, Laureæ Doctoralis Candidate! facile conciliamur, juris id olim fuisse: nunc autem legibus his consuetudine ac præscriptione legitimè abrogatis sua cuique postulatio rediit felix quodlibet sentiendi libertas illuminatissimis hisce temporibus, & despecta prioris ignorantiae & nimiae credulitatis caligine, sedentibus in tenebris, & cæca præjudiciorum umbrâ de sequelâ Patrum, lux orta est eis, non captivant amplius irrationaliter intellectum in obsequium Patrum, & in suo quisque sensu, non alieno, abundare permittitur: Rom. Cap. 14. v. 5. Idipsum testatur quotidiana hinc & inde libros hujuscemodi etiam contra communem Patrum sententiam scribilandi ac evulgandi facultas, tanquam optima legis abolitæ interpres. -- Nec immerito multiplicata hæcce inhibitionum legumque farrago abrogata; libertatem namque quam Deus, quam infallibilis æternaque homini asserit Veritas, Ecclesia Veritatis sponsa ritè adimere eidem quomodo possit? *Tradidit autem Deus Mundum disputationi eorum Ecclesiastæ 3. v. 11.* Ne hic mihi obrudas distinctionum distictiunculas, ubi lex, ubi textus non distinguit, nec nos distinguere debemus, cessaret namque omnis disputatione, si communi Patrum consensi tanquam divinis Oraculis in Thesibus ponendis, in expoundâ Scripturâ (quæ ad doctrinam, & morum nostrorum informationem exarata est velut lex luxque simul illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, non Patres tantum, sed & filios) nos conformare deberemus: statim res foret decisa, disputatione finita: Augustinus, Ambrosius, Gregorius &c. ita dixit, ergo ita est. Qui spiritum Patrum non habet, non habet spiritum Christi, hic non est ejus, quasi non omnes teste Apostolo Rom. 8. v. 15. *spiritum Dei acceperimus, qui omnia scrutatur etiam profunda Dei.* 1. Corinth. v. 10.

Sanè si occurrat novus sensus neo-interpreti textui consonus, quamvis à torrente Doctorum sacrorum alienus non ideo dimittendus, quia diffonat à priscis Doctoribus. Numquid dicit Apostolus 1. Cor. 14. v. 30. *quodsi alii revelatum fuerit sedenti prior taceat:* ergo revelatio non primis magis promissa, quam posterioribus, alijs primos posterioribus tacere non juberet. Non ergo alligavit Deus expositionem Scripturarum sacrarum priscorum Patrum sensibus, sed Scripturæ ipsi integræ, sub infallibili Catholicæ Ecclesiæ Censura & Judicio: alioqui spes nobis & posteris tolleretur, exponendi Scripturam sacram, nisi transfrerendo, ut ajunt de libro in librum, ingenia nostra damnaremus, judicio nos privaremus proprio, oculis cæci, videremus alienis, Patres dominarentur fidei nostræ. Leges autem interpretandi Verbum Dei nullas patitur, cum non sit obligatum 2. Tim. 2. v. 9.

Qua

Qua ergo tu , dic mihi, Laureæ Doctoralis Candidate ! authoritate hoc facis, ut alliges verbum Dei contra verbum Dei expressum & infallibile, fallibili testimoniou Patrum ; fallibili inquam, non seorsim tantum (ut Cavillationem tuam præcludam) sed & Patrum simul sumptorum. Nunquid enim solidissime ac in optimâ formâ sic argumentor. Hoc discursu, qui sicut fallitatis sententiæ te tuæ convincit , ita appretiare docet , quemvis in tempore tempus ; hoc horæ minutum, istud & sic perpendo à primo ad ultimum & sexagésimum minutum, seorsim simulque est irrevocabile, ergo tota simul hæc volat absque morâ, ac est irrevocabilis hora : pariformiter ergo, secundum hominem loquor , solidissime sic argumentor : hic S. Pater, iste & ille à primo ad ultimum est fallibilis , ergo omnes simul semelque, & quoad in omnibus idem.

Insuper scire velim , quamnam communem primus Pater , quamnam secundus antiquiorum Patrum in Scripturarum Exegesi fuerit secutus sententiam? utique nullam. Unde ergo probabis , majorem primis, quam ultimis in novissimis. in quibus sumus temporibus, in eruendis excutiendisque genuis Scripturæ sensibus, infallibilitatis prærogativam à Domino Deo fuisse concessam, si id ipsum Patres dicant veteres , ut revera ex ipsis ostendisti, in causa loquuntur propriâ , de seipsis sibi invicem testimonium perhibentes , adeoque testimonium illorum non est verum.

Quamnam porro meretur fidem istud scriptorum genus secundum senioris Critices regulas, salvâ Reverentia Patrum dico, qui ob Censurarum aliarumque pœnarum metum non liberè tensa sua aperiunt, qui se invicem velut ovis ovem, avis avem sequuntur, aliter sentiendo quandoque aliter libertatis defectu scribendo, & nunquid id olim durantibus his ex parte Ecclesiæ libertatis compediens in Scripturarum Exegesi evenire necessum fuit?

Verum missis Patribus anxiè times fidei morumque deposito , si sua cuique sit plenissima interpretandi Scripturam libertas ; ast times, ubi non est timor firmum fundamentum Dei stat, 2. Tim. 2. ¶ 19. quod est Ecclesia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3. ¶ 15. Rector navis Ecclesiæ, Pontifex tibi modicæ fixi fidei præfeto est, de quo Christus Lucæ 22. Simon! Simon! ecce Satanus expetivit vos , ut cribraret sicut triticum ; ego autem rogavi pro te , ut non deficit fides tua , & tu aliquando couversus confirma fratres tuos. Petrus solus Petrus est non confirmandus à Patribus , non confirmandus à Fratribus . sed solus & unus ipse cum infallibili assistentia Spiritus sancti confirmat omnes, quod Petrus Pontificum primo dictum , utique dictum & ultimo, quod vobis dico, omnibus dico Marc. 13. ¶ 37. ut seposita Patrum sequelâ forte errantes reducat , ac imprudentium hominum obmutescere faciat ignorantiam 1 Petri 2 ¶ 15. Falsas doctrinas & Exegetes stigmate Apostolico configendo, evellat & destruat , dissipando solaribus radiis pseudo - doctrinarum tenebras , propositiones laxas censurâ notwithstanding , falsas reprobando, impias diris Apostolicis execrando, ut non ita pridem oculis nostris vidimus , auribus audivimus , Romanâ ternum dum fulmen venit ab arce ; in futurum pariter non dormitabit neque dormiet , qui custodit Israel supremus, universalis Episcopus secundum nominis sui ethymon & officium vigili semper oculo gregi suo superintendens, & attendens; obediendo humillimè tamen se seque in sinu piæ matris Ecclesiæ religiose continentest obedientissimi filii nunquam serpentum instar discerpent viscera matris.

Neutiquam hinc omittendum arbitror, hancce commentandi libertatem ad majorem in studiis æmulationem & fidei promotionem conducere admirabiliter dum omni modo sive per occasionem , sive per veritatem ad Philipp. 1. ¶ 18. in Scripturarum expositionibus se se illuminant , & illuminantur hisce temporibus multi Athenienses, de quibus Act. 17. ¶ 21. ad nubilum aliud vacantes nisi ut discant, audiunt & doceant aliquid novi , sique veritas solidissime contrariis juxta se possitis, dum nova noveque scribuntur, evidentissime tandem elucescit ; Litteraria namque hæc vexatio dat intellectum , quatenus alias sic , alias sic ibat, alia à Patribus viâ , sic tamen ut alter adjuvet alterum, viamque demonstret per arbitrarios suos Scripturæ sensus Assertionésque tum Canonicas , tum Theologicas velut gradus scalæ Jacob obliquos eos quidem ac transversos , ad ipsissimam & genuinam tamen pertingendi veritatem, fin secus, viam monstrat omnibus ille, quem Christi (qui scalæ caput via & veritas est) Vicarium humillimè veneramus in terris.

Rem cape in exemplo: Rami arboris moveantur in contraria ventis, hi sursum, isti deorsum aut quaquaversum, quoad usque tamen arboris centro inhærent

rent motu suo contrario radicationem arboris tantum abeunt ut impediant, seque exinde cum arbore perdant, ut radices movendo, removendo identidem magis profundiisque per viscera terrae cum proprio omnibus commodo propellant, firmiisque figant.

Ita & illi, qui variis & peregrinis abducuntur doctrinis, ventisque opiniorum inauditarum in omni scientiarum genere velut nubes vacui circumferuntur, Ecclesiam tanquam arborem Dan. 4. v. 7. in medio terrae, cuius proceritas contingit celum, cuius aspectus usque ad terminos terrae, & esca univerorum in eadem, non demoliuntur doctrinarum novarum varietate radicesve evellunt, sed promovent, seque in centro unitatis Romano Pontifici eas forte reprobanti firmiter adhaerendo, tenacius cum arbore illa mysticâ implantant, irrigant fructuosius, & velut palmites in vite manentes fructus afferunt multos elucubrationum & dilucidationum mysteriorum à saeculis incognitorum: adeoque errores illorum non pertinaces sunt veluti umbræ picturarum colores pulcherrimos insigniter decorantes & elevantes.

Sed quid dices, si Patres, quorum authoritati in Scripturarum expositione omnium vis subjici ingenia, tibi audias adversari? audies equidem & miraberis.

Divus Augustinus in Proem. L. 3. de Trin. Lib. ad Vincent. Vict. Epist. ad Hier. 19. Ep. item altera ad Marcell. 7. Epist. ad Vincent. 48. Ep. quoque alia ad Fortunatum 3tia. Denique L. 2do de baptismo c. Donatist. Cap. III. his enim locis omnibus sui Augustinus similis idem dicit & constanter nempe: præter Autores sacros, qui libros scripsere Canonicos alios omnes ita legendos, ut quantalibet sanctitate doctrinaque polleant, non ideo verum sit putandum illud, quod afferuerint, quia ipsi ita senserunt, sed quia nobis vel authorum sacrorum testimonia vel probabili ratione id persuadere potuerunt: liceréque proinde contra atque illi sentire, & salvâ honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, hoc autem D. Augustini testimonium tam constans tamque multis locis non obscurè repetitum, si verum esse credimus, fateamur necesse est, nullum omnino à sanctis Authoribus firmum argumentum sumi posse ad Scripturæ sacræ expositiones.

En ecce opportunè mihi in hac palestrâ tecum Laureæ Doctoralis Candidate! digladianti secundat Angelicus meus Doctoř D. Thomas tradens: *gladium Goliath cui non est similis alter* 1. Reg. 21. v. 9. Sic itaque inquit 1. p. q. 1. a. 8. ad 2. arg. Authoritatibus Canonicæ Scripturæ utitur sacra doctrina ex necessitate argumentando: authoritatibus aliorum Doctorum Ecclesiæ autem probabiliter arguendo, atque ejus rei causam etiam subdit, quod innititur fides nostra revelationi factæ, iis, qui Canonicos Libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta. Quod si duo hi testes clarissimi contemnuntur, si ratio quoque D. Thomæ contemnitur, rationibus certè aliis minimè contemnendis idipsum confirmari potest, nam si in Libro Canonico una quælibet falsitas inveniretur, totius libri certitudo interiret. Cum ergo in libris sanctorum Scriptorum unam & item alteram falsitatem liceat reperire, etiam in his, quæ ad fidem pertinent, consequens est, quod Ss. Scriptoribus certam fidem habere non sit necessarium, aut nos in Scripturarum expositione ad eorum sensum constringere. --- Scio inquit Hieronymus in Epist. ad Theophil. advers. Joan. Hierosolym. me aliter habere Apostolos, aliter reliquos Tractatores, illos semper vera dicere, istos in quibusdam ut homines aberrare. Sed simulum plus satis est. Nunc ergo juvat dimittere larvam.

Objiciendo hæc ego pro more hujus Actus inauguralis larvatus Philistæus temerè ausus sum ore incircumcisо maledicere summè Venerabili exercitui Ss. Patrum *Dei viventis* 1. Reg. 17. v. 36. & factus sum insipiens, fateor, cum Apostolo 2. Corinth. 12. v. 11. vos me provocando cogisti; quod ergo insipienter in hac substantia materiæ locutus sum, sapienter & sapientissime resolve, Laureæ Doctoralis Candidate! quod pro tua eruditione infligi facies utique; & *idipsum de reverentia Patrum in expositione scripturarum dicemus ambo, dicemus omnes, & non erunt, ut monet Apostolus 1. Corinth. 10. schismata, erimus autem perfecti in eodem cum Patribus sensu & in eadem Sententiâ.*

## RESPONSI.

**C**um impugnando id plane effeceris, Vir Eximie, Eruditissimeque Aemule! quod à Te, ut ita fieret, ego flagitaram; singulari sane me Tibi officio devinxisti: occasionem namque dedisti, hactenus à me dicta deducendi, illustrandique... Quamobrem Tua statim sic adgredior argumenta, ut singula punctatim sim perstricturus, profligaturusque.

§. I. Primo igitur ais, quæ contra Patrum doctrinam sacras interpretari paginas vetat, legem præscriptione legitima modo abolitam, & cuicunque novaturiendi adsertam esse libertatem... Hunc sane, nisi vehementer meus me fallit animus, tua, quæ ab initio ponis, significatum habent. Quod cum sarcasme prolatum à te sit, morari me non debet. Nosti enim Vir Eximie! plures esse leges Ecclesiæ sanctissimas, quæ non observantur: sed & nosti, quantum hæc duo inter se differant: Lex non observatur, & Lex non obligat. Quod primum quidem jam passim fieri cernas. Hæc autem, quam homines sibi suunt, licentia tantum est, ut tuta legis abrogatae sit interpretatio, quin potius via recta ad omne erroris lupanar deducat.

§. II. Ast libertatem id hominum genus, si superis placet, postliminio sibi repetit, quam Deus homini adseruit: tradidit enim Deus Mundum disputatiōnē eorum! --- Intelligo; sed simul adverto, hos Aristarchos ejusdem conditionis cum despectissimæ fortis hominibus esse, cum hominibus, inquam, qui ut nefandos suos in genere morum tueantur errores, Scripturas sacras in erroris sui monumentum detorquent. Sed de primo arguento, quod indignationem potius, quam responsonem meretur, jam satis. Nam quæ de spiritu (ut ego intelligo) privato addis, prætereo, cum mihi non cum Protestantibus, sed Catholicis concilienda sit causa. De Patribus autem seorsim sumptis, de quibus Tu ibi, sermo erit postea.

§. III. Addis dein, scripturæ sensum, si novus, tèxtuque conformis, quamvis à Sanctorum alienus torrente occurrat, haud esse dimittendum; neque enim alligasse Deum sacrarum scripturarum expositionem priscorum Patrum sensibus. Quod quidem argumentum ex parte desumpti ex Cajetano, qui graves de hoc Melchiori Cano poenas dedit. Quanquam, ut ingenue fatear, modeliæ hic limites excessit Canus, Cajetanum summam arguens criminis, cuius tamen ipse piaculum haud contraxerat. Neque enim adeo temerarius fuit piissimus juxta ac doctissimus ille Vir, ut CONTRA unanimum sanctorum Patrum consensum sacras fas esse diceret interpretari scripturas; sed id solum adseruit, prohibitum non esse, novam interpretationem præter Patrum expositionem in medium proferre. Sic sane Cajetanum vindicant Viri duo gravissimi, Pallavicinus, & Natalis Alexander. Pergis: hoc ergo si non liceret, spes nobis tolleretur, sanctas expendi Scripturas.

§. IV. Sed, ut ab ultimo ordinar, fallis sane, Vir Eruditissime! nam impensis libertatem Synodus Tridentina, cuius sanctionem propugnavi, suo decreto haud ademit viris eruditis, novas scripturæ sacræ depromendi expositiones, modo Ecclesiæ sensui, Patrumque universitati, atque confessioni non repugnant, in Fidei morumque rebus. Et sane plures sunt scripturæ loci, imo integri libri, in quibus interpretum diligentiam desiderat Ecclesia. In his ergo doctus interpres eruditionis, ingenique monumenta reliquere potest posteris. Dein in illis ipsis, quæ antiquorum studio, diligentiaque sunt elaborata, utilissimam collocare quis operam valet. Possumus enim, ut Canus ait, vetustis novitatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus naturam suam, & naturæ suæ omnia conciliare. Quam in rem elegantissime ait Vincentius Lirinensis: quocunque igitur in Ecclesiæ paradyso, De agricultura, Patrum labore satum, hoc idem filiorum industria colatur, floreat, maturesscat, proficiat, perficiatur. Et præsca illa cœlestis philosophiæ dogmata à posteris excurentur, limentur, poliantur. Sed nefas est, ut commutentur, detruncentur, matilenetur, humanorumque ingeniorum quasi extranea additamenta recipient. Accipiant, licet, evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integratatem, proprietatem.

§. V. Quod autem dicas, non alligasse Deum Expositionem scripturæ sacræ priscorum Doctorum sensibus, ubi de Fidei morumque doctrina est sermo, falsum est, si omnes in eandem sententiam concurrent Patres. Universi namque Catho-

Catholici sensum tenentur Ecclesiæ sequi. Atqui ego copiose explanavi antea, sensum Ecclesiæ esse, qui est Doctorum Ecclesiasticorum omnium. Hanc certe Regulam, quia despexit Origenes, in varios deflexit errores. *Hic idem tantus, ac talis* (inquit Lirinensis) *dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cum parvi pendit antiquam christianaæ Religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere præsumit, dum Ecclesiasticas Traditiones & Veterum Magisteria contempnens quædam scripturarum Capitula novo more interpretatur, meruit, ut de se quoque diceretur: si surrexit in medio tui propheta.*

§. VI. Quod nunc ex Paulo addis testimonium, illud prorsus præter rem est, neque locum hic habet. Enimvero, ceu Ambrosius ait, *traditio synagogæ est, quam nos Paulus vult sectari, ut seniores dignitate, disputent sedentes in Catbedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento supra mattas; quibus si quid revelatum fuerit, dandum locum præcipit, nec despiciendos, quia membra Corporis sunt. Quæ tandem subjungis, sic Patres dominari fidei nostræ, sic nostra nos damnare ingenia, privareque judicio, levia sunt. Patres namque divinam nobis revelationem, ejusque genuinum proponentes sensum, non id proponunt, quod invenerunt ipsi; sed quod ab Apostolis, & hi à Christo acceperunt. Sed de hoc uberior statim.*

§. VII. Moleste nunc percontaris, Vir Eximie! qua ego authoritate id faciam, ut fallibili Patrum testimonio verbum Dei alligem. Neque enim Patrum testimonio Dei Verbum alligavi; sed à Magistris hisce tanquam fidei depositariis genuinum Dei verbum accipere nos adserui; hoc est, ab his nos Patribus habere, quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est. Hi namque accep- tum servarunt depositum, atque summa fide ad nos transtulerunt. Gravissima hanc in rem sunt Lirinensis verba: *Quid est depositum? depositum id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum: quod acceperisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrinae: non privatæ usurpationis, sed traditionis publicæ: rem ad te perducam, non à te perlatam: in qua non Auctor esse debes, sed custos: non institutor, sed Sectator: non ducens, sed sequens. Aurum acceperisti, aurum redde: nolo mibi pro aliis alia subjicias. Cuiusodi diligenter, sedulo, fideliter, devitans profanas vocum novita- tes, . . que sunt vetustati contrarie. Nulla quippe Hæresis, nisi sub certo nomine, certo loco, certa tempore remersat. Nec quisquam Hæresin instituit, nisi qui se prius ab Ecclesiæ Catholicæ, & antiquitatis confessione discreverit. Hoc ergo apud omnes hære- ses legitimum fuit atque solenne, ut profanis novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidian. Contra vero, Catholicorum hoc proprium, deposita sanctorum Patrum, & commissa servare, damnareque profanas novitates. Haec tenus Lirinensis . . Cum ve- ro, qua nescio paritate unanimi etiam consensu Patrum nervum incidere paras, paucis sic habe: quilibet Episcopus, licet errori sit obnoxius: ast certe non omnes seu congregati, seu dispersi. Idem sentiendum omnino de universo Patrum choro. Singuli Patres ab erroris periculo haud sunt immunes: sed omnes, uno eodemque sensu manifeste, frequenter, perseveranter idem docentes, falli esse nescios fateri debet, quicunque infallibilem Ecclesiæ in fidei morumque doctrina adserit Authoritatem.*

§. VIII. Tandem cum scire desideras, quam communem primus Pater, quam secundus, & sic deinceps in scripturarum Exegesi antiquiorum Patrum fecutus sit sententiam, lepidè sane jocaris. Sufficiet interea Tertulliani responsum L. de præscript. Cap. 21. *Quid prædicaverint (Apostoli) id est: quid illis Christus reve- laverit, & bic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesiæ, quas ipsi Apostoli considerunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod ajunt, voce, quam per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde, omnem doctrinam, que cum illis Ecclesiæ apostolicæ, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id fine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo sus- cepit. . . Sic S. Ignatius Martyr, qui S. Petro Apostolo post Evodium in Ca- thedra Antiochena successit, ab ipsis Apostolis Dei verbum, ejusque sensum ac- cepit, & ille dein posteritati transcripsit. Quod denique addis, Patres, si con- cordi Sanctorum veterum sententiæ infallibilitatis prærogativam adserant, in causa loqui propria, fallis, Vir Eximie! etenim (licet ego non ex Patribus, sed ex practica conciliorum oecumenicorum definiendi methodo causam confecerim) hanc tamen prærogativam dum Patres adtribuunt Patribus, illi sic loquentes Patres ut pii loquuntur Filii, qui proin & doctrina, & ea pietate sequuntur Patres, qua optat Ecclesia, ut nos eos sequamur . . Quod demum subiectis de constricta Patrum in scribendo libertate, prorsus nihil est: obvium namque notissimumque est, qua libertate Patres eam, quam ab Antecessoribus acceperant Doctrinam, posteritati demandarint.*

§. IX. Aliam nunc adhibes Machinam, ad Authoritatem Patrum, si possibile esset, penitus evertendam ... Petro, inquis, & in Petro Successoribus adpromisit Christus, Fidem ejus defectorum esse nunquam, fratresque à Christi Vicario confirmatum iri, non Petrum à Patribus. Quorsum hæc? Vir eruditissime! spiritu suo adsistit Deus Ecclesiæ, ne in fidei, morumque doctrina labatur. Atqui persæpè lapsa fuisset, si concors Patrum doctrina erroris subjecta periculo esset. Quoties enim non declaravit Ecclesia, Doctrinam Patrum *doctrinam esse suam?* Quoties non definit, Doctrinam Patrum *Christi.* *Apostolorumque esse doctrinam?* omnia certe Concilia, omnes Pontifices hac via rationeque universas hæreses refutarunt. Hæc ergo falli nescia Christi sponsa, hæc supra firmam ædificata Petram Ecclesiæ doctrinas Patrum sequitur, non quod Patrum, sed quod Christi & Apostolorum sint doctrinæ. Juvat denuo audire Lirensem. *Sacra,* ait, *vetus tatis autboritate profanæ novitatis conteremus audaciam.* Neque hoc sane novum, siquidem mos iste semper in Ecclesiæ viguit, ut, quo quisque floraret religiosior, eo promptius novelis adinventionibus contrarieret ... summatis nonnulla ac breviter perstringemus, ut omnes luce clarius videant, Beatorum Apostolorum beata successio, qua via semper ingressa novas doctrinas refutarit. Intelligebant enim viri sancti, atque prudentes, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, qua fide suscepimus à Patribus forent, eadem filiis consignarentur. Idque esse proprium christianæ modestiæ, ac gravitatis, non sua posteris tradere, sed à Majoribus accepta servare. Ducatum quippe nobis præbet religio, non nos Religioni. Nec Majorum sensa, qua volumus trabemus, sed potius, quæ illæ trabunt, retrabuntque, sequemur. Atque sic sequimur ipsa sensa Christi, Ecclesiæ Authoris.

§. X. Commendas nunc interpretandi, comentandique libertatem, utpote ad Fidei promotionem egregiè conducentem. Verum sarcastice hoc à Te dici, advertit quisvis, qui ad monitra, quæ nostris diebus effrenis commentandi libertas peperit, animum reflectit. Et certe, si semel admissa fuerit hæc licentia, abolendæ Religionis haud longè periculum aberit. Etenim unaquæque particula sanctorum scripturarum (ut Canus monet) humanorum ingeniorum libertati permisla, alia quoque atque alia, & omnes jam quasi ex more reliquæ humilitus pertractabuntur. Atque tum, ut sæpe citatus Vincentius ait, *fit ibi deinceps errorum lupanar necesse est, ubi erat ante castæ, & incorruptæ sacrarium Veritatis.* .. Exemplum, quod postea adducis, adeo nihil Tibi prodest, ut potius mirum quantum authoritatem Patrum confirmet, consolidetque. Sic enim habe. Scripturæ, fideique interpres, quacunque utantur explanandi methodo, si Ecclesiæ Patrumque doctrinam retineant, propugnantque, utilem Ecclesiæ operam navant. Ast si iis doctrinæ ventis circumferantur, ut in ipsam concordem Patrum doctrinam insurgant, cœn rami vento valido ab arbore avulsi à corpore absinduntur Ecclesiæ. Quare & hoc verum est, Ecclesiam tanquam arborē à Deo plantatam eò firmiores semper egisse radices, quod validioribus perversæ doctrinæ ventis fuit agitata: id enim ex tota retro antiquitate patet, eò gloriosiorem Ecclesiæ de hæresibus suis triumphum, quo superbius luxurians novator caput extulerat: Patrum namque doctrinæ, quæ una, quæque Ecclesiæ doctrina erat, jugulatæ tūm hæreses sunt, quam primum prodierunt. Sed de hoc plus quam satis.

§. XI. Tandem Patres contra Patres committis, ut saltem adparens desperatæ causæ tuæ nanciscaris Patrocinium. Igitur ad Augustinum provocas, qui in variis locis à Te citatis, sui semper similes, contendit, præter Scriptores Canonicos, alias ita legendos, ut liberum ibi habeat Lector, Auditorve judicium, quo vel adprobet, quod placuerit, vel improbat, quod offenderit. Verum, Eximie Aemule! hisce in locis Augustinum de Patribus divilim sump-tis, seque inter non consentientibus loqui, ex ipso Augustino manifesta res est. Sic enim in primo adversus Julianum Libro Cap. 2., cum Julianum in fidei dogmate, de quo erat controversia, Sanctorum revincere testimoniiis vellet, ait: *Non omnium de hac re sententias commemorabo, sed ponam pauca paucorum, quibus tamen nostri contradictores cogantur erubescere, & cedere, si ullus in eis vel Dei timor vel hominum pudor tantum malum pervicaciæ superaverit.* Ut autem Tuum, Vir Eximie! præcludat effugium, postea addit Augustinus: *alia sunt, in quibus inter se etiam doctissimi atque optimi Regulæ Catholicæ Defensores, SALVA FIDEI COMPAGNE non consonant, & alias alio de una re melius aliquid dicunt, & verius. Hoc autem, unde nunc agimus, AD IPSA FIDEI PERTINENT FUNDAMENTA.* En genuinam Augustini de Patrum autoritate mentem! --- Sed eundem Augustinum in secundo adversus Julianum libro audiamus, sic enim ibidem loquitur: *Hoc probavimus Catholicorum autoritate Sanctorum, ac per hoc non est consequens, ut falsum sit. Tales quippe, ac tanti viri secundum Catholicam Fidem hoc verum esse confirmant, ut vestra fragilis, & argutula novitas sola autoritate costringatur illorum. Præterquam, quod ea dicunt, ut se per*

*eos loqui veritas ipsa testatur.* Et tandem in fine hujus libri Augustinus sui semper similes testatur, eum, qui Sanctos Veteres rejicit, universam Christi Ecclesiam rejicere. Hactenus Augustinus.

§. XII. Ad Divum Thomam pergo, ex quo Tu, Vir Eximie! tantum Tibi mutuatus esse videris sublidium. At integrum Aquinatis sensum recitasse, Te refutasse erit. Sic autem in loco à Te citato habet: *Ininititur Fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos Libros scripsierunt; non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta.* Unde dicit Augustinus in Epistola ad Hieron. solis eis scripturarum Libris, qui Canonicæ appellantur, didici bunc honorem deferre, ut nullum Auctorem eorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet Sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt. Quod igitur S. Augustinus, hoc & D. Thomas dicit, Patres nimirum divisim sumptos irrefragabilem doctrinæ suæ haud conciliare Authoritatem. Ratio demum, quam adponis, si quid valet, non magis contra Sanctos Veteres, quam contra Patres in Conciliis oecumenicis congregatos, totamque Ecclesiam valet. Atque hæc hactenus. Minuta, quæ hinc inde inspersisti, ita sunt constituta, ut ex hactenus à me dictis solutionem pronam habeant.

§. XIII. Fixum ergo, firmumque manet, Concordem Patrum in Fideliumque doctrina consensum infallibilem esse dirigentem Fidei regulam; à qua proin, si volumus esse Catholicæ, recedere non licet. Igitur cum laudato toties Vincentio concludo: *Necesse est omnibus Catholicis, qui se se Ecclesiæ legitimos filios probare student, ut Sanctorum Patrum Fidei inbærent, adglutinentur, immoriantur: profanas vero novitates detestentur, horrescant, persecuantur.* Concilio evim Epiphonio divinitus placuit, nibil aliud post eis credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens Sanctorum Patrum tenuisset Antiquitas.

